DE COLLEGIIS
SCENICORUM ARTIFICUM
APUD GRÆCOS

DU MÊME AUTEUR :

INSCRIPTIONS RECUEILLIES A DELPHES, par C. Wescher et P. Foucart, membres de l'École française d'Athènes. In-8°, Firmin Didot, 1863.

MÉMOIRE SUR LES RUINES ET L'HISTOIRE DE DELPHES. In-8°, Thorin, 1865.

MÉMOIRE SUR L'AFFRANCHISSEMENT DES ESCLAVES. In-8°, Thorin, 1867.

INSCRIPTIONS INÉDITES DE L'ILE DE RHODES. In-8°, Didier, 1867.

MÉMOIRE SUR UN DÉCRET INÉDIT DE LA LIGUE ARCADIENNE. In-4°, Franck, 1870.

SÉNATUS-CONSULTE INÉDIT DE L'ANNÉE 170 AVANT NOTRE ÈRE. In-8°, Thorin, 1872.

DES ASSOCIATIONS RELIGIEUSES CHEZ LES GRECS, avec le texte des inscriptions. In-8°, Klincksieck, 1873.

VOYAGE ARCHÉOLOGIQUE EN GRÈCE ET EN ASIE MINEURE, par Ph. Le Bas. Ouvrage continué sous la direction de M. Waddington, membre de l'Institut. — Explication des inscriptions (deuxième volume). Cinq livraisons ont paru (Mégaride, Corinthie, Argolide, Sparte, Laconie). In-4°, Firmin Didot, 1870-1873.

Paris. — Imprimerie Georges Chamerot, rue des Saints-Pères, 19.

DE COLLEGIIS

SCENICORUM ARTIFICUM

APUD GRÆCOS

THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Paul
P. FOUCART

SCHOLÆ NORMALIS NECNON GALLICÆ
ATHENIS SCHOLÆ OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM
APUD KLINCKSIECK
11, RUE DE LILLE, 11

M DCCC LXXIII

ERUDITISSIMO VIRO

LÉON RENIER

INSCRIPTIONUM ET HUMANIORUM LITTERARUM ACADEMIÆ

SOCIO ORDINARIO

GRATI ANIMI MONUMENTUM DICABAT

DISCIPULUS.

INDEX CAPITUM.

DE COLLEGIIS

SCENICORUM ARTIFICUM

APUD GRÆCOS

DE COLLEGIIS
SCENICORUM ARTIFICUM
APUD GRÆCOS.

I.

Quæ fuerit rei scenicæ apud Græcos conditio, ex Atheniensium legibus?

Quæ fuerint apud Græcos scenicorum artificum collegia disputare aggresso origines artis scenicæ paucis repetere necesse est. Cujus ipsum Bacchum repertorem fuisse tradidit antiquitas, et in Græcia per omnes licuit artificibus consecrare origines suas, ut cum Livio loquamur, et ad deum referre auctorem. Quicunque recentiorum antiquitatem attigerunt, consentiunt rem ludicram apud Græcos colendi numinis causa esse inventam et magis ad deorum honores et ad civitatis religionem quam ad voluptatem hominum pertinuisse.

Hujus publicæ religionis tanta vis exstitit tantaque Græcorum in retinendis majorum institutis pietas ut res scenica, etiam quum a pristino Bacchi cultu ad alia declinavisset et, omisso deo, ad humana quædam, et quidem non ita pia, conversa esset, antiquæ religionis memoria consecrata viguerit. Cujus rei insigni documento

sunt Athenienses, qui, in constituendis iis quæcunque ad Dionysia spectabant, omisso jure communi aut descriptis novis legibus, civilem rationem, dei gratia, prorsus inverterunt.

Quum Bacchi festis universos cives adesse oporteret, lege jubebatur litibus supersederi, vetito ne quis, etiam judicio victor, dilatum æs alienum exigeret, vel aliquid aliud prehenderet aut vi auferret.

« Quum Bacchi pompa in Piræo est et comœdi et tragœdi et quum Lenæis pompa est et tragœdi et comœdi et quum Dionysiis urbanis pompa est et pueri et comus et comœdi et tragœdi et Thargeliorum in pompa et certamine, ne liceat vel pignora vel quidquam quod sit alterius capere, ne illorum quidem qui ad diem non solverint, hisce diebus. At si quis horum aliquid commiserit, ei qui passus est jus esto in illum agendi et adversus illum accusationem (προβολάς) ferendi, tanquam injuriam facientem, in concione in æde Bacchi congregata, quemadmodum de ceteris injuriam facientibus scriptum est (1). »

Ipsa etiam civitas eos qui in carcere publico, ob æs alienum, inclusi erant, vadibus constitutis, horum dierum spatio, emittere solebat ne cujusquam civis cultu deus fraudaretur (2).

In choris vero instituendis, qui sumptus tribuum et choragorum! quæ studia, magistratibus inspicientibus,

(1) Demosth., *in Midiam*, 10. — In eadem oratione exemplum invenimus (175). Quum Evander quidam Menippum Carem actione mercatoria damnatum, quem prius nusquam apprehendere potuerat, in mysteriis nactus arripuisset, delatus apud populum a Menippo totam mulctam (duo talenta) remittere coactus fuit; quin etiam judices hominem capite damnassent, nisi accusator destitisset.

(2) Demosth., *contra Androt.*, 68.—Schol. Demosth., p. 614, 23.

in sortitione magistrorum et tibicinum! quæ cura ne quis peregrinus, ne quis infamia notatus chori factus particeps impura aut non civili contagione pios civitatis honores contaminaret! Sed his omissis, ad majus illud et magis ab Atheniensium moribus alienum animus advertatur. Chorago potestas tribuebatur idoneos e tribu eligendi quos vellet; si quis recusaret, aut mulctandi, aut pignora ab eo auferendi (1). Pueri etiam, e domo patris educti, in arbitrio choragi versabantur qui eos domi attinebat, de alimentis, de potionibus, quæ viderentur esse sumenda, jubebat (2), ingenti sane paterni juris detrimento, quum in alienam domum migrare eam ætatem cogerent, cujus fama maxime poterat periclitari (3).

In eos qui in ducenda pompa aut in committendis sacris certaminibus aliquid deliquerant, non communi jure agebatur, sed novum quæstionis genus, nova crimina, novæ etiam pœnæ indictæ. Etenim, Dionysiis peractis, de reo suffragia ferebat populus, in ipso Bacchi templo, id est theatro, congregatus; ubi reum deliquisse pronuntiatum fuerat, ad certum tribunal res redibat, quod jam de ipsa pœna sententiam ferret (4). Qui hoc actionis genere utebatur, is non δικάζεσθαι, ut in ceteris civilibus, sed, proprio vocabulo προβάλλεσθαι dicebatur (5). Qui se verbo aut facto violatum querebatur, non, ut in privata lite, legibus quæ de vi et damno latæ fuerant, sed publice, ea lege sacra quam Athenienses de sacro mense tulerant, agebat (6).

Quæ quidem fuit tam horrendi carminis ut vix aude-

(1) Antipho, *Super choreuta*, 11. — (2) Antipho, *Ibid.*, 15 et sq.

(3) Leges de disciplina puerorum, gravissimis pœnis adscriptis, retulit Æschines, *contra Timarch.*, 9-17.

(4) Demosth., *in Midiam*, 8-9.

(5) Εἰ μὴ προὐβαλόμην αὐτὸν ἀλλ' ἐδικαζόμην. Demosth. *Ibid.*, 26.

(6) Demosth., *Ibid.*, 28 et 35.

rem affirmare tam incredibilia, nisi Demosthenes exempla commemoraret vindictæ capitalis. Ctesiclem quemdam, quod in pompa inimicum scuto pulsavisset, et populus sontem declaravit et judices morte mulctaverunt. Alius etiam qui spectatorem de sedili in theatro litigantem vi expulerat, jam populi suffragiis damnatus judicum sententiam capitalem morte tantum antevertit (1). Jam ex ipsa Demosthenis oratione videre est quam acerbæ fuerint in delictis hujusmodi coercendis leges ad Dionysia pertinentes. Is enim, suscepto sua sponte pro tribu sua choragi munere, quum in ceteris a Midia vexatus, tum novissime colopho exceptus in theatro, inimicum jam populi præjudicio damnatum apud judices de statuenda pœna persequitur. A quibus, pro legum sententia, pro ipsorum jurejurando, Midiam morte mulctandum esse contendit (2), neque enim se privatum, sed populi Atheniensis choragum, sacrosanctum dei ministrum, in ipso templo hominis impotentia violatum esse; et, exemplis majorum, injuriam non sibi tantum illatam sed etiam reipublicæ et ipsi deo, sontis supplicio piandam esse (3). Sit nimius dolor acceptæ contumeliæ, sit acerbitas in exigendis ab inimico pœnis immodica. Illud tamen confitendum est, nunquam ausum fuisse tam atrociter crimina exstruere, tam sœvam pœnam reposcere nisi facultatem ei leges de Dionysiis latæ præbuissent, et judices ipsos tam ambitiosam et immitem accusationem risu non sententia excepturos fuisse, nisi et alia exstitissent similium causarum exempla. Quis enim oratorem tulisset de *sacra* ipsius veste lacerata tam acriter invehentem (4),

(1) Demosth., *Ibid.*, 178-182. Confer etiam simile exemplum, p. 2, not. 1.

(2) Demosth., *in Midiam*, 70, 152.— (3) Demosth., *Ibid.*, 127-7.

(4) Demosth., *Ibid.*, 16, 69.

nisi vere aliquid sacrosancti choragis inesse Athenienses putavissent? Quid reus? Non de jure disceptat, nec tale delictum morte non esse piandum contendit, sed, confugiens ad argutias, Demosthenem sponte, non sorte designatum, choragi munus subiisse asseverat, unde privatum non publicum hominem a se violatum fuisse, rem totam ad jus commune retrahens (1). Ex quo satis patet de pœna ipsa controversiam nullam moveri potuisse, sed in eo omnia versari utrum Demosthenes privatus homo fuerit an publicus Bacchi minister. Ceterum hac lege nulla apud Athenienses sanctior aut vetustior habita est, siquidem oratori, nemine adversante, affirmare licuit : « Eadem est lex de mysteriis quæ de Dionysiis, et illa recentius quam hæc lata (2). »

Ad hæc tantæ pietatis in colendo Baccho testimonia si quis advertat animum, profecto minus miretur tam diversam fuisse apud Græcos et apud Romanos scenicorum artificum conditionem, et in hac disputatione facile perspiciat non modo quæ fuerit, sed etiam quibus causis exstiterit eorum collegiorum tanta æstimatio.

Quæ de artificibus, ante Alexandri Magni ætatem, scriptores tradiderunt nunc omitto, singula in tempore, prout opus erit, repetiturus. Illa tempora potissimum persecutus sum, quibus viguit res eorum qui Græce οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται, Latine *scenici artifices* dicuntur (3). Supersunt enim non pauci tituli, alii jam prius noti, plures his novissimis annis effossi, quorum nonnullos ipse publici juris feci, plerosque typis chartaceis

(1) Demosth., *in Midiam*, argum. et 24-29.

(2) Demosth., *Ibid.*, 175.

(3) In transferendis græcis verbis, Latini Bacchi mentionem omiserunt, quia Romæ res ludicra nequaquam cum illius religione conjuncta fuit; quam tamen translationem vulgo a latinis scriptoribus usurpatam in hac disputatione retinui.

aut lapidibus inspectis, rursus transcripsi et, quantum fieri potuit, in meliorem formam redegi (1).

II.

Quibus in locis coiverint et quibus ex hominibus constiterint scenicorum artificum collegia?

A principio scenici artifices private vitam agebant nec nisi exercendi artificii causa, et id quidem ad tempus, convenire solebant; tandem in corpus perpetuum sese congregaverunt non actores modo sed etiam poetæ et musici atque omnes quicunque Bacchi festis inserviebant. Cujus mutationis tempus certis documentis statui non potest, quum acta collegiorum pleraque secundo ante christianam ætatem sæculo, pauca tertio assignanda sint. Prius tamen institutam fuisse novam hanc rationem probabile est, et circa Philippi Alexandrique tempora initium habuisse. Vocabulum certe ipsum οἱ περὶ τὸν Διόνυσον τεχνῖται apud Aristotelem primum reperire est (2).

Scenici non in unam societatem universi coaluerunt, sed eodem nomine, simili artificio, simili conditione et fortuna, singula in singulis regionibus collegia exstiterunt. Inde communi omnium vocabulo, pro se quæque sodalitas mentionem peculiarem addidit regionum quas

(1) De scenicis artificibus, videas maxime quæ edidit Egger, Mémoires de littérature ancienne, *Coup d'œil sur l'histoire des acteurs dans l'antiquité;* Études sur les traités publics chez les Grecs et les Romains, *Appendice IV, Archives des corporations.* — Patin, *Études sur les tragiques grecs,* t. I, p. 105 et sq.

(2) Aristotel., *Probl.*, XXX, 10. — « Alii quidem eos *Dionysi adulatores*, ipsi vero se *artifices* appellant ; hæc autem nomina ambo metaphoræ sunt, sed alterum dedecorantium, alterum contra. » *Rhetor.,* III, 2.

incolebat aut invisebat. In illis locis fuisse ejusmodi collegia, maxime e lapidibus comperimus.

1. Athenis (1).

2. Thebis (2).

3. Isthmi et Nemeæ (3). Hujus collegii artifices nequaquam his in locis commorabantur, sed alii Argis, ut docet diserte titulus (l. 40), alii, ut verisimile est, vicinis in urbibus; ita ut collegium universum e festis, quorum agendorum gratia conveniebant, nomen duceret, partes singulæ adderent civitatis mentionem in qua domicilium posuerant. Totum fuit illud : « *Bacchici artifices ex Isthmo et Nemea, Argivæ sodalitatis.*

4. Tei triplex sodalitas in unum collegium sese consociavit, retenta tamen originis aut peculiaris artificii memoria. Qui sibi patronum Διόνυσον καθηγεμόνα nuncupant ex ipsa Teo oriundi videntur, et eos probabile est jampridem in ea urbe exstitisse quæ Bacchum intra fines suos natum esse contendebat et dei præsidis patrocinio jus asyli et immunitatem consecuta erat. Altera sodalitas est artificum Ioniæ et Hellesponti qui in eam civitatem confluxerant quæ, Baccho consecrata, scenicis maxime opportuna sedes destinabatur. Ea fuit utrorumque ratio ut, duplici cognomine, in unum communiter consulerent; nonnulla enim decreta utriusque nomine inscripta tenemus, nullum autem nude artificum præsidis Bacchi (4). Tertia sodalitas fuit *synagonistarum*, conjuncta tamen cum prioribus. Quos Bœckhius artifices esse e diversis

(1) Decreta Amphictionum. — Le Bas, *Attique*, 377. — Fr. Lenormant, *Recherches à Éleusis*, 26.

(2) Le Bas, 3e *partie*, 505.

(3) Foucart, *Revue archéol.*, 1870, t. II, p. 107, ubi cetera in laceris titulis latentia collegi et emendavi.

(4) *Corpus inscr. gr.*, 3067, 3068 *a*. — Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 281.

regionibus ad tempus certaminum Teum adeuntes censuit, prava sane interpretatione (1). Vix enim intelligas quomodo homines ad breve tempus coacti honores perpetuos decernere potuerint. Adde quod ad hæc festa ex aliis civitatibus convenerunt non singuli artifices, sed universa collegia, ut videre est in decreto collegii artificum ex Isthmo et Nemea (2). Meliori sententiæ viam aperuit titulus Iasensis, in quo unus synagonista tragicus cum poeta et musico ab artificibus Teiis ad agendum de communibus rebus legatus mittitur. Quod manifeste fieri non potuit nisi et ipse tum particeps esset et postea futurus esset collegii. Unde verisimile videtur synagonistas nihil aliud esse quam actores tragicos et comicos, scenici populi quasi gentem. Hos omnes communiter de rebus ad universum collegium spectantibus consuluisse idem docet titulus (3). *Attalistarum* quorum quoque monumenta supersunt, nullum fuit aliud collegium (4). Iidem sunt qui artifices supra memorati, sed assumpto regio cognomine, Attalo gratiam ob beneficia referre studuerunt, necnon illius patrocinio res suas augere. Quod quidem vocabulum non diutius quam Attali regnum permansit et priscum nomen rursus assumptum fuisse demonstrant lapides ætatis imperatoriæ (5).

Haud paucas hujus collegii migrationes commemoravit Strabo. « Deinde Lebedus.... Ibi scenicorum artificum conventus et domicilium est, qui in Ionia sunt usque ad Hellespontum; hic solennis conventus et certamina quotannis in honorem Bacchi peraguntur. Teos proxima Ioniæ urbs ante fuerat eorum sedes; sed, quum incidisset seditio, Ephesum confugerunt. Quum vero Attalus eos

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3068 *b.* — (2) *Corpus inscr. gr.*, 3068 *c.*
(3) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 281.
(4) *Corpus inscr. gr.*, 3069, 3070, 3071.
(5) *Corpus inscr. gr.*, 3082, 2933.

Myonnesum traduxisset quæ est inter Teum et Lebedum, missis legatis, Teii a Romanis petiverunt ne contra se paterentur muniri Myonnesum ; ita illi Lebedum commigraverunt, Lebediis ob hominum penuriam, qua tunc premebantur, eos libentissime recipientibus (1). » Aliud etiam eorumdem domicilium omisit Strabo ; retulit enim Plutarchus Antonium, postquam Sami ludos scenicos per plures dies egisset, Prienen artificibus sedem assignasse (*Anton.*, 57). Ubi non diu certe commorati sunt, quum Augusti ætate Lebedum incolerent. Indicat etiam lapis ætatis imperatoriæ eos, post tam longum exsilium et tam multos errores, tandem Teum remigrasse et antiquam sedem repetivisse (2).

5. Cypri. Artifices græcos ab Evagora et Nicocle accitos et in insula commorantes Isocrates commemorat (3) ; quæ fuit sane collegii origo. Regum Cypriorum studia erga rem ludicram, temporibus Alexandri, testatur Plutarchus (Vide p. 84). Post hos, collegii patrocinium receperunt Ægyptii reges, tanto favore ut ipsorum nomen cum Baccho consociarent artifices (4).

6. Alexandriæ. Nullum adhuc innotuit Alexandrini collegii monumentum. Sed Athenæus, pompam describens in hac urbe a rege ductam, scenicos artifices nominat et præeuntem ipsorum sacerdotem poetam Philiscum (V, 27).

7. Syracusis. Quis credat amplissimam civitatem, caput Siciliæ, insigni theatro, cujus ipsa rudera admiratio-

(1) Strabo, XIV, I, 29.

(2) *Corpus inscr. gr.*, 3082. — Haud scio an de scenicis artificibus Theophrastus scripserit in Charact. 23 : Καὶ περὶ τῶν τεχνιτῶν τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ, ὅτι βελτίους εἰσὶ τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ ἀμφισβητῆσαι.

(3) Évagoras, 1, 50. — Cf. etiam Le Bas et Foucart, notes du nº 125.

(4) *Corpus inscr. gr.*, 2619, 2620. — Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 2793-4.

nem movent, collegio scenico caruisse? Cujus tamen tenuissimum modo vestigium e Livio eruere potuimus, in quo fit mentio Aristonis cujusdam actoris tragici, Syracusani civis, in ea urbe commorantis (XXIV, 14).

8. Rhegii. Titulus pessime descriptus mihi videtur; sed haud dubia est artificum collegii mentio (1).

9. Neapoli. Collegium tantummodo in duobus recentioribus titulis occurrit, quorum in uno latinis elementis verba mere græca inscripta fuerunt (2). Est quoque testimonio Senecæ epistola in qua de theatro Neapolitano et de musicis certaminibus loquitur (*Epist.* 76). Gravius illud et magis antiquum quod Brutus, quum vellet artifices græcos ludorum causa congregare, Neapolim se contulit ubi plurimi versabantur (3). Quod collegium a Romanis constitutum fuisse non credibile est, sed potius, ante Romanam dominationem jam florens, serius etiam permansisse.

Nunc e quo hominum genere constiterint ea collegia quærendum est. Rem sacram non nisi ingenuos attigisse et ipsa ratio per se indicat et manifeste declarant quum scriptores antiqui tum lapidum testimonia. Nempe apud oratores atticos videre est scenicos artifices nullo publico vel civili jure caruisse, sed in judicia testimonii dicendi causa, vel ad lites intendendas aut sustinendas æquo jure prodire; domos aut fundos possedisse; nonnullos etiam amplissimis gentibus affines, ut Phrynichum illum saltatorem Andocidæ germanum. Nec minus honores civitatis adipisci, publicis muneribus fungi vel amplissimis, verba facere in concione aut in consilio per leges nec minus per hominum opinionem scenicis fuit semper concessum. (Vide p. 81.)

(1) *Corpus inscr. gr.*, 5762.
(2) Sacra synhodos Neapoli (Orelli, 2542).
(3) Plutarch., *Brutus*, 51.

Quod si Demosthenes pluribus locis Æschinis artificium cum irrisu et exprobratione commemoravit, non ei unquam probro vertit quod fabulas egisset, sed quod male. Hunc dicteriis persecutus est, tertiarum partium pessimum actorem, rusticum Œnomaum (in quo agendo in pago quodam ceciderat), sibilis explosum, cum spectatoribus inexpiabile bellum gerentem; quæ tamen convicia non artificium ipsum, sed artificem insulsum lædunt.

Nec magis scenicos, quod deo sacri habiti sunt, *hierodulos* fuisse credideris. Hos enim, quanquam longe meliori sorte fruebantur, servili tamen et origine et conditione fuisse constat, et tantummodo ex hominum servitute ad dei servitium migrasse. Artifices contra, collegiorum participes, ingenui cives erant, utpote qui et paternum nomen et civitatem suam proferrent. Nec desunt diserta lapidum testimonia quæ inspicere haud inutile arbitror. In catalogis enim musicorum certaminum nullus victor occurrit cujus non et civitas et paternum nomen addatur. In iis vero titulis qui proprie collegiorum sunt, si quando ea mentio omissa fuit, facile res expediri potest. Nempe si, in decretis Amphictionum de Atticorum scenicorum collegio, patria legatorum non designatur, satis apparet eos Athenienses fuisse. Nec magis mirum quod Iasenses, in recensendis iis qui sumptibus suis spectandos vel audiendos artifices præbuerant, plerumque in peregrini generis scenicis paterni nominis mentionem neglexerunt. Ex quo temerarium sit conjicere eos conditione fuisse non ingenua. Exempli causa, in uno titulo inscribitur Athenodorus comœdus, sine patris nomine; in altero, idem audit Heraclidæ filius (1). Longum sit eos recensere quorum civitas, et paternum nomen, aliquando etiam avitum commemora-

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 255 et 257.

tur (1). Attamen ne cui dubio locus supersit, Delphicarum tabularum mentionem faciam, in quibus, quum ducenti fere artifices nominentur, omnium patria additur, quindecim circiter paterno nomine carent. In his etiam, quum eas muro templi inscribentem alicujus paternum nomen fugiebat, aliquid spatii vacui relinquebatur. In una tabula, inter saltatores comicos Moschus Sicyonius refertur; idem, in duabus aliis, addito patris nomine, Moschus Sosiclis Sicyonius (2). Idem factum in tragœdo Sotylo Philoxeni Ætolo; idem in Pantacle Daalcis Sicyonio (3). Ex quo satis patet paternum nomen, si quando in ceteris omissum est, aut ignorantia aut casu aliquo tantum effluxisse. Nulla igitur dubitatio superest omnes scenicos artifices, quicunque collegia Baccho consecrata constituerint, ingenuos cives fuisse, neque servis aut libertinis rem tam sacram, tam civilem adeundi concessam licentiam.

Declarant etiam tituli, præcipue Delphici, quam diversis e regionibus artifices in quædam collegia coiverint. De Attico quidem nihil satis constat, quum perpauci nominatim designentur, et ii quidem, nulla patriæ mentione. Unde dubium fit utrum hoc ex Atheniensibus solis constiterit an peregrinis quoque sodalitatis ineundæ data fuerit facultas. Apud Teios nonnullos externos videmus, Chalcedonium, Pergamenum, Samium; alios prætereo quos hujus collegii participes fuisse tantummodo probabile est. Uberrimam autem materiam præbent tituli Delphici, in quibus quum mentio fiat omnium qui ludos attigerint, videre est scenicos e locis diversissimis ortos in unum corpus coaluisse.

Quanquam plurimos Athenæ, Bœotia, Arcadia, Sicyon

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3090.
(2) *Inscriptions inédites de Delphes*, III, 75; IV, 70; V, 77.
(3) *Ibidem*, III, 44; IV, 44. — III, 46; IV, 68.

tulerunt, haud paucos tamen ceteræ partes Peloponnesi et insulæ, Ætolia etiam atque Acarnania, Thessalia, Thracia, Macedonia; paucissimos Asia; sunt quidam e locis maxime remotis oriundi, hinc, ex ipsis Ponti Euxini littoribus, Sinope et Bosporo, illinc ex Ægypto atque Cyrenis et Tarento. Perspicuum est eos non ad tempus festorum congregari solitos, sed stabili et perpetua societate conjungi, præsertim quum multi haud semel eosdem ludos adierint. Omnis autem dubitatio tollitur quibusdam exemplis comœdorum et tragœdorum qui variis e civitatibus orti simul fabulas agere solebant; præcipue puerorum qui longissime a patria ter aut quater in ludis Soteriis saltaverunt (1).

His igitur, quum reditus in patriam nulla spes, ne cogitatio quidem inesset, propter artificii necessitates, curandum fuit ne in externis civitatibus inquilinorum loco, quæ conditio humilior erat, degerent, aut omnino fierent ἀπόλεις, qua calamitate nulla gravior antiquis habita est. Qui enim, aut eversa patria aut aliquo casu ἄπολις factus erat, is omnis humani divinique juris expers, is nullius religionis, nullius sacri particeps fieri poterat, quum suos sibi deos quæque civitas diligentissime reservaret, externos contra excluderet (2). Artifices igitur, licet priscæ patriæ nomen non repudiarent, constitutis collegiis, novam patriam, novam civitatem adepti sunt, in qua ea omnia, quibus sublatis, vita vitalis esse non videbatur,

(1) Idem grex comicus, eodem magistro, IV et V. Idem grex tragicus, III et IV. Vide tabulam pag. 63 propositam, in qua etiam invenias quosdam non semel in eis ludis egisse. Puer Chalcidensis in quatuor ludis saltavit (III, 20; IV, 20; V, 30; VI, 23); in duobus puer Atheniensis (III, 18; V, 19); puer Bœotus (III, 21; IV, 21); puer Argivus (V, 24; VI, 22). In virorum choro bis saltaverunt Atheniensis, Bœotus, duo ex insula Ceo, Tegeata, Cytherius.

(2) Foucart, *Inscriptions inédites de l'île de Rhodes*, n° 60, p. 72.

invenirent. Hunc enim hominum non cœtum fuisse quoquo modo congregatum, sed cœtum multitudinis juris consensu et utilitatis communione sociatum declarant ipsorum monumenta in quibus frequens mentio de legibus, de populo, de magistratibus, de sacris occurrit. Quæ singula jam recensere oportet.

III.

De collegiorum legibus, concionibus, sacerdotiis, magistratibus, etc.

Legibus suis collegia regebantur, quorum corpus universum periit, quædam tamen vestigia e lapidibus eruere licet. Quæ, etsi tenuia sunt, satis tamen docent, ut civitatum, ita collegiorum res in perpetuum provisas et descriptas fuisse. Illa tantum capita novimus :

De ludis agendis et de munere agonothetæ (1);

De honoribus et coronis tribuendis (2);

De celebrandis deorum sacris (3);

De ferendis in judicio artificum sententiis (4);

Exemplum etiam legis constituendæ ex uno titulo tenemus, quo tibicen Crato hereditatis suæ, cujus partem Teiis sodalibus reliquit, usum per legem, et eam quidem sacram, definivit (5).

Nec rarius artifices, quod a scriptoribus oratoribusque civitatum maxime nobilium frequenter usurpatur, *majo-*

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3068 B, l. 11.
(2) *Ibidem*, 3068 A, l. 15 ; 3067, l. 29.
(3) Foucart, *Revue archéol.*, 1870, t. II, p. 107, l. 13.
(4) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 281, l. 25.
(5) *Corpus inscr. gr.*, 3071.

rum instituta commemorant; quorum non minor vis et auctoritas quam legum ipsarum (1).

De ceteris singulis, quæ non legibus provisa aut institutis majorum stabilita erant, ad tempus, ut ferebat necessitas, per decreta consulebatur, quorum nonnulla lapidibus incisa usque ad nostram ætatem permanserunt.

Artificum vero civitatem popularem dicere licet, in qua penes populum erant omnia. Qui e quibus hominibus conflatus fuerit satis docent tituli. Occurrunt nempe poetæ varii generis, musici omnium artium, de quibus in ludis recensendis melius disputabitur (vide p. 66), actores, saltatores, magistri docendis choris, atque etiam vestium locatores. Pueros quoque qui in choris saltabant in collegio educatos fuisse e Delphicis tabulis vidimus (vide p. 13, n. 1); quos etiam aliquam partem rei publicæ attigisse demonstrat titulus Argivus in quo laudatur cujusdam insigne studium jam a pueritia erga sodalitatem declaratum (2).

Hilarodi contra, mimi, et ceteri id genus, quorum apud Græcos quoque copia fuit (3) in nullo collegio reperiuntur, et eorum artificium semper inhonestum et illiberale habitum est. Inter utrosque tantum fuit discrimen ut Callippidi tragœdo arte superbienti et mirato quod non statim oculos Agesilai in se converteret interrogantique «non agnoscis me, o rex?», nihil acerbius quam illud respondere potuerit « nonne Callippides tu es *dicelista?*» Sic autem Lacedemonii *mimos* vocabant (4). Vix est quod moneam mulieribus nullum locum in scenicis collegiis fuisse, quum res ludicra per viros tantum

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 29. — Foucart, *titul. laudat.*, l. 32. — Fr. Lenormant, *Recherches à Éleusis*, 26, l. 14, 18, 22, 40.

(2) Foucart, *Revue archéol.*, 1870, t. II, p. 107, l. 6.

(3) Athenæus, XIV, p. 621.

(4) Plutarch., *Agesilas*, 21.

honeste agi putaretur; quæcumque feminæ aut saltarent aut canerent ad tibiam citharamve, serviles et plerumque meretricum loco habitas fuisse satis est compertum. Traditur memoriæ mulierem tibicinam, a Phayllo Phocensium duce adamatam, quum Pythiis adire certamen auderet, spectantium ira exclusam indignantium pollui ludorum sanctitatem (1).

Omnino, collegia scenica ex iis solum constiterunt qui artes quibus præmia in ludis sacris proponebantur, exercuerunt. Discrimen singulorum in ludis agendis, quum artificii genere, tum propria cujusque peritia, maximum; in administranda republica, nullum; dissimilis in certaminibus gloria, dissimilia etiam cuique generi præmia, similis in sodalitate conditio. Ad obtinendos honores, ad ineundos magistratus, nihil referebat poetane an tibicen, magisterne docendis actoribus an synagonista tragicus foret; sed in summa juris æqualitate omnes versabantur (2).

Artificibus igitur universis idem jus ferendi suffragii, idem adeundæ concionis, penes quam summa rerum erat. Quum decreta simpliciter inscribantur ἔδοξε τῷ κοινῷ, verisimile videtur nullam relationem per magistratus faciendam fuisse, nullum προβούλευμα a senatu aut consilio, qui mos tamen in omni Græcia invaluit, ante proponendum quam legitime populus ad suffragia vocaretur. Convocatis igitur in curiam, βουλευτήριον (3), artificibus universis, postquam unusquisque, prout erat ingenium aut

(1) Athenæus, XIII, p. 604.

(2) Operarum (ὑπηρεσίαι) quarum in duobus titulis mentio fit (Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure,* 281, l. 37, Inscr. Andan., l. 98), scilicet eorum qui actoribus et musicis apparebant nullum jus, nulla dignitas; quippe id ministerii genus per servos aut libertos procuratum fuisse videtur.

(3) Philostr., *Vita Sophist.*, II, 82.

dicendi facultas, pro jure suo sententiam protulerat, ferebantur suffragia, sine quibus nihil ratum esse potuit.

Etenim lex, priusquam vigeret, populi scito erat sancienda (1).

Si quid negotii cum externis collegio incidisset, sive ut pactum fieret de mittendis ad festa agenda artificibus (2), sive ut jura sua apud Amphictiones tueretur et eorum præsidium sibi vindicaret (3), ferebatur in concione decretum quo conditiones pacti aut res petendæ definirentur; legati, et ii quidem ex artificum corpore suffragiis designati, nihil aliud quam populi scitum deferebant et verbis tuebantur.

De communi ærario, ut par erat, commune omnium consilium. Postquam quæstor eorum nomina a quibus pecuniæ erant repetendæ protulerat, artificum erat statuere utrum debita remitterent an jure persequerentur (4). Haud alia ratione, si quid erat ædificandum, si quid ad deorum cultum aut splendorem collegii comparandum, expositis per magistratum rationibus, populus sententiam ferebat (5).

Apud eumdem etiam sacrorum potestas, quum non nisi populi jussu, nova sacra constituerentur aut templa erigerentur (6).

De præmiis vero et honoribus quibus gratia bene meritis referebatur, tota res erat concionis et decretis agebatur (vide p. 25).

Illud autem non minoris momenti : suffragiis designabantur ii quibus in externas civitates ad agendos senicos

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3069.
(2) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure,* 281.
(3) Decreta Amphictionum.
(4) Foucart, *Revue archéol.*, 1870, t. II, p. 107, l. 9-10.
(5) *Ibidem*, l. 13-22, 26-28.
(6) Fr. Lenormant, *Recherches à Éleusis*, 26, l. 7-9, 18.

ludos eundum esset, mulcta mille drachmarum irrogata, si quis designatus imposito muneri deesset. Excusationum quoque, morbi aut hiemis causa, penes concionem judicium, ita ut reus, suffragiis tantum latis, legitime absolveretur (1). Ex quo, quanquam non aliud adhuc occurrit exemplum, fit probabile penes populum omnia fuisse judicia.

Quum in tot et tam magnis rebus summa foret universi consilii potestas, nihil tamen ad conservandum collegiorum popularem statum magis valuit quam magistratuum ratio, in qua diligentissime provisum ut ii, quibus mandaretur rei publicæ procuratio et administratio, e populo semper penderent. Quippe, non nisi per suffragia et annuis vicibus, sacerdotia et magistratus adipisci licebat, et muneris suscepti rationes reddendæ, atque etiam in ipso cursu honoris, si quid negotii extra ordinem occurrebat, nihil sponte sua agendi facultas magistratibus concessa, sed res prius ad populum revocandæ. Præterea corpus magistratuum nullum fuit, sed singuli pro munere suo cum populo agebant.

Primas tenet, in plerisque lapidibus, sacerdos; qui, ut est consentaneum et titulus quidam diserte declarat, Bacchi sacerdos; in aliis, artificum aut collegii (2); in pluribus, nude sacerdos nominatur (3). Nec mirum sane iis collegiis quæ se dei patrocinio tuebantur, sacerdotem præfuisse potius quam civilem magistratum. Cujus nomen, ut eponymi, actis plerumque præponitur, magis tamen honoris causa quam ut annus notetur. Nullam enim epocham sibi peculiarem artificum collegia seque-

(1) Le Bas et Waddington, *Inscriptions d'Asie-Mineure*, 281, l. 17-26 et 36-38.

(2) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 7 et 9; — 3070, 3072.

(3) *Ibidem*, 3068 A; 3068 B; Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 93.

bantur; sed, ubi annus accuratius definiendus erat, eamdem temporum rationem quam civitates in quibus versabantur, usurpabant. Ita Tei, septimum annum regnantis Attali præfert unus titulus (1); Argis, alterum et tricesimum annum, nulla alia designatione; qui, et ex aliis indiciis et e more in omnibus populis olim Achaïci fœderis participibus obtinente, ab Achaia in formam provinciæ redacta, computandus est (2). Athenis vero, ut in omnibus aut civitatis aut collegiorum actis solitum, archontis eponymi mentione anni notantur (3).

Is autem Bacchi sacerdos, non sorte sed suffragiis designabatur; annua quidem erat dignitas, sed ita tamen ut idem per plures annos eligi posset. Quod ex illustri et jam bene noto Cratonis exemplo manifestum est, qui bis sacerdotio functus est (4). Alterum etiam suppeditant Delphicæ tabulæ, quatuor annis ejusdem sacerdotis nomine præposito (5).

Hunc autem ex artificum corpore fuisse et propter dignitatem artificium non omisisse, quanquam per se satis patet, disertis tamen lapidum testimoniis confirmari utile arbitror. Crato certe tibicen cyclicus in nonnullis titulis appellatur (6) et eum cecinisse apud Iasenses certissimum est (7). In eodem lapide memoratus et alius tibicen, Satyrus Aristoclis Bœotus, idem esse videtur qui Satyrus, collegii Teii, Cratonis tempore, sacerdos (8). Ex eodem collegio Cratinum sacerdotem probabile est

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3070.
(2) Foucart, *Revue archéol.*, 1870, t. II, l. 7.
(3) Fr. Lenormant, *Recherches à Éleusis*, 26, l. 13, 34.
(4) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 6-9.
(5) *Inscriptions inédites de Delphes*, 3, 4, 5, 6.
(6) *Corpus inscr. gr.*, 3067 et seq.
(7) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 255.
(8) *Corpus inscr. gr.*, 3068 A.

non alium esse ac Cratinum Menophili Pergamenum tibicinem (1). Quin etiam videmus, in ipso sacerdotio, Philonidam Aristomachi Zacynthium ludis Soteriis præfuisse, una cum archonte Delphico et hieromnemonibus assidentem, et eumdem eodem die in comœdia primas partes egisse (2).

In lapide etiam Teio, sacerdos est artificum Demetrius et victor inscribitur citharœdus Demetrius Phocensis, quem eumdem esse verisimile videtur (3). Unum modo poetam sacerdotio functum novimus, Philiscum scilicet, Philotæ filium, Corcyrensem, haud ignobilem tragœdiarum scriptorem, quarum etiam nonnulla fragmenta servantur, quem, regnante Ptolemæo Philadelpho, Alexandrinis artificibus præfuisse Suidas et Athenæus tradiderunt (4).

In Atticis titulis, ante Hadrianum, nulla mentio sacerdotis ad hunc diem reperta est, sive casu aliquo, sive potius quod ea dignitas publico Bacchi sacerdoti tribuebatur.

Apud Teios, institutum fuit etiam alterum sacerdotium, quum Pergamenos reges Eumenem et Attalum, quorum beneficiis collegium auctum et amplificatum fuerat, artifices, Asiatica adulatione, et vivos divinis honoribus prosequerentur et mortuos in deorum numerum referrent (5).

Cypri, sacerdotium scenicorum cum regum Ægyptiorum cultu et aliquando cum publico civitatis sacerdotio conjunctum fuit : *summus sacerdos civitatis et artificum*

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3070, 3090.

(2) *Inscriptions inédites de Delphes*, III, l. 2 et 49.

(3) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 93.

(4) Fragmenta tragicorum græcorum, éd. Didot, p. 156.

(5) *Corpus inscr. gr.*, 3068 A, l. 1 et 17 ; 3070, l. 2. — Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 93 ; cf. 88.

qui Bacchum et Deos benefactores colunt (1). Quod sacerdotium, viro aliis amplissimis muneribus functo mandatum, fieri potuit ut non artificibus sed alienigenis, honoris causa, a collegio tribueretur.

Magistratus, alio apud alios vocabulo, etsi nominis magis quam muneris diversitas est, melius erit singulos, prout copia lapidum suppeditabit, recensere.

Apud Teios, occurrit universorum magistratuum mentio (2). Solus tamen nomine designatur agonotheta, annuus et artificum suffragiis electus (3). Cujus præcipuum munus, ut fert ipse dignitatis titulus, erat certaminum cura quibus ipse præerat (4). Res autem fuit magni momenti quum duplici impensarum generi subveniendum esset, nempe ut apparatus omnes ad rem scenicam necessarii, vestitus, ornamenta et cetera utensilia quæ in titulo quodam recensentur (5) diligenter et, quantum fieri posset, splendide præberentur, deinde ut pecunia ad præmia artificum et ad sacra quæ cum ludis semper instaurabantur, præsto esset; id est χορηγία et δαπάνη (6).

Quæ omnia sumptibus collegii fieri, ab agonotheta tantum administrari valde probabile est; in quo ne quid nimio luxu aut parcimonia peccaretur, legibus provisum quibus agonotheta obsequi jubebatur (7). Quanquam ei licuit et de suo addere quo ludi splendidius agerentur et ipse, conciliata per munificentiam artificum gratia, ad alias dignitates viam sibi muniret aut laudationem honoresque mereretur (8).

(1) *Corpus inscr. gr.*, 2620.—(2) *Corpus inscr. gr.*, 3068 B, l. 22.
(3) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 26 et l. 8.
(4) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 7 ; 3068 B, l. 10.
(5) *Corpus inscr. gr.*, 3070.
(6) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 9-10.
(7) *Corpus inscr. gr.*, 3068.
(8) *Corpus inscr. gr.*, l. 9-10 ; 3068 B, l. 12.

Tertium illud et cum prioribus conjunctum, curare ut coronæ ab artificibus propter beneficia tributæ quotannis in theatro, præconis voce nuntiarentur et ceteri ejusdem generis honores, secundum decreta collegii, temporibus statis, rite decernerentur (1).

Jam hoc munus iidem homini iterum mandari potuisse docet insigne Cratonis exemplum, quin etiam cum sacerdotio simul suscipi; sed altera designatione opus fuit. Quæ duplex dignitas simul iidem viro suffragiis sociorum delata laus singularis videbatur, nec omissum fuit in prioribus titulis commemorare uno anno eumdem et sacerdotem Bacchi et agonothetam fuisse creatum (2). Serius autem aut usu aut lege invaluit ut qui sacerdotium Eumenis obtinuisset, idem agonothetæ munere fungeretur (3).

Agonotheta in titulis solum Teiis adhuc repertus est. In ea enim urbe artificum collegio concessum fuit ut partem civilium etiam sacrorum sibi vindicaret et, quum apud ceteros Græcos, agonothetæ et choragorum munera a civibus exercerentur, id omne Teii artifices susciperent. Quæ collegii potentia, nescio an nimia incolis visa, causam seditionibus dederit, propter quas Teum deserere coactum fuit (4).

Ex Attico collegio unum curatorem, ἐπιμελητήν, novimus. Cujus munus annuum quale fuerit declarat titulus Eleusinius in honorem Philemonis cujusdam perscriptus qui res artificum calamitatibus temporum afflictas erexit et prope perditas restituit. Maximum sane hoc fuit, cui

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 26; 3068 A, l. 16. — 3068 A, l. 24-26.

(2) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 9-10.

(3) *Corpus inscr. gr.*, 3068 A, l. 17; cf. l. 1; 3070, l. 2. — Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 93.

(4) Strabo, XIV, I, 29.

in primis commissa ærarii cura et quærendi diligenter reditus (1). Hinc et sumptus ad celebrandos dies festos et peragenda sacra, quæ ex artificum decretis aut secundum instituta majorum fieri debebant, curatori præbendi erant; nec minus largienda artificibus ex ærario in binos dies solennes secundum legem pecunia (2).

Quin etiam, saltem apud Athenienses, curator partem sacrorum attingebat; quippe Philemo, artificum nomine, in Eleusinio templo, sacra Deabus peregit (vide p. 35).

Hæc curatoris ordinaria munia; illa vero extra ordinem et de collegii sententia, superaddita. Quum altare et templum artificum calamitas temporum evertisset, scenici Philemonis diligentia et studio delectati, eum vehementer invitaverunt et adduxerunt ut jacentia excitaret (3).

In his omnibus non solum bene et innocenter se gessit Philemo, sed etiam ærarium, postquam omnibus impensis par effecisset, multa pecunia auctum tradidit (4). Nec impar diligentiæ viri munificentia fuit. Bis enim hostias, apparatus et ceteros sumptus ipse ultro præbuit (5) atque sodales de suo, duorum dierum spatio, magnifice excepit (6). Quæ liberalitas adeo artificibus grata fuit ut Philemonem, jam ter magistratu functum, etiam quartum suscipere cogerent, viri modestiæ vim inferentes simul et pecuniæ (7).

Ut Attici curatoris, laudatio Philemonis, ita Argivi quæstoris munus, solenne artificum ex Isthmo et Nemea, qui Argis commorabantur, decretum illustravit. Quod munus maximi momenti fuisse vel ex eo perspicuum est quod huic magistratui virum præfecerunt, jam a pueritia

(1) Fr. Lenormant, *Recherches à Éleusis*, 26, l. 25-26.
(2) *Ibidem*, l. 17 et 39.
(3) *Ibidem*, l. 11-12, 21-27.
(4) *Ibidem*, l. 29-31. — (5) *Ibidem*, l. 15 et 37.
(6) *Ibidem*, l. 16 et 38. — (7) *Ibidem*, l. 33.

multis quum pietatis adversus deos tum benevolentiæ adversus artifices documentis insignem, multis erga collegium officiis comprobatum, præclare functum omni munerum et magistratuum serie. Hunc autem quæsturæ suæ annum is Zeno duplici officiorum genere maxime memorabilem effecit.

Ærarium auxit, reditus collegii, qui e fundis aut pecuniis elocatis atque ceteris id genus bonis constabant, diligenter persequendo et in publicum redigendo (1). Nec minore diligentia pecuniam suppeditavit ut legitima sacra quoque mensē perficerentur (2), et decretorum ab artificibus honorum expensæ solverentur (3).

Hæc omnia muneris propria et legibus decretisve provisa jure suo et per se quæstor perfecit. Illa vero quæ studio communis utilitatis impulsus ad subveniendum collegii rebus aut ad augendum splendorem excogitavit, ad populum referenda fuerunt, orationibus tuenda, artificum sententiis comprobanda, quæ nec suscipere sponte sua poterat nec rursus subire cogebatur. « Quum multi e pluribus annis moras restituendæ pecuniæ traherent, ante populum eos indicavit..... et invitatus ab artificibus curavit ut debita recuperaret (4). » Idem sæpius verba fecit ut scenicos ad ponendam Bacchi statuam aut paranda ea quæ in templo ornando aut festis peragendis usui essent aut ad perficienda ædificia inchoata impelleret (5). Quæ quum secundis auribus accepta essent, extra proprium muneris officium invitatus, omnia prudenter locanda aut exstruenda curavit (6).

Ceteri magistratus Argivæ sodalitatis universi nominantur (7); mentio peculiaris scribæ qui, inter alia, fa-

(1) Foucart, *Revue archéol.*, 1870, t. II, p. 107, l. 8.
(2) *Ibidem*, l. 12. — (3) *Ibidem*, l. 24-35. — (4) *Ibidem*, l. 10-12.
(5) *Ibidem*, l. 15-21, 24-28.
(6) *Ibidem*, l. 18, 21. — (7) *Ibidem*, l. 36.

bricandam coronam in honorem Zenonis et eamdem in gymnico certamine Nemeorum per præconem pronuntiandam curare debuit (1). Alius etiam ἐπιστάτης ad tempus creatus fuit, cujus id unum munus erat ut, accepta a quæstore pecunia, fingendam æneam Zenonis effigiem et inscribendum marmori collegii decretum curaret (2). His enim collegiis cordi semper fuit ut, multiplicatis magistratibus, minor esset singulorum potestas, necnon, pluribus patefacto dignitatum aditu, industriam hominum excitarent et beneficia elicerent.

Haud ingrati artifices erga eos quorum studio in fungendis magistratibus auctæ res collegii, aut quorum liberalitate amplificatæ opes et levatum onus impensarum. Quemadmodum civitates græcæ decretis bene meritos homines laudibus et honoribus augere solitæ sunt, sic quoque scenicorum populus, in concione laudes et honores largiri nunquam omisit. Decreto, postquam diserte memoratum quidquid prospere, quidquid pie, quidquid liberaliter gestum fuerat, tribuebant honores : laudationem, coronam, annuam proclamationem in ludis per præconem, effigies pictas aut marmoreas aut æneas, quibus incidebatur vel ipsum collegii decretum vel brevior honoris mentio (3). Additum, plerumque prolixa oratione, quibus temporibus, quibus locis, per quos magistratus pronuntiarentur honores, quibus in templis erigerentur statuæ, quum aliquid semper novi excogitaretur quo splendidior fieret meritorum commemoratio. Nec defuit verborum magnificentia « ut igitur et manifestum sit artifices tribuere gratias dignas illius beneficiis honoresque, et multos habeant Zenonis æmulos (4). »

(1) Foucart, *Revue archéol.*, 1870, t. II, p. 107, l. 38-39.
(2) *Ibidem*, l. 38-41.
(3) *Corpus inscr. gr.*, 3072. — Le Bas, 504, 505.
(4) Foucart, *Revue archéol.*, 1870, t. II, p. 107, l. 28-30.

Singulare autem officiorum exemplum et insignis artificum in referenda gratia diligentiæ exhibuit Crato, cujus beneficiis et laudibus refertos sex titulos fortuna usque ad posteros pertulit. Hic vir, Chalcedone natus, tibicen cyclicus, mox in Teium collegium adscriptus, sodalium utilitati unice deditam vitam peregit; cujus tanta fuit erga scenicos quum publice tum private benevolentia ut non a sodalibus solum sed etiam ab externis artificibus ex Isthmo et Nemea coleretur (1). Positæ ejus statuæ et effigies non Tei tantum, sed etiam Deli; repetita in pluribus locis et festis honorum et laudationum commemoratio (2). Qui, quum jam « apparatu impensisque priores sacerdotes et agonothetas omnes superasset (3) » et « memorabilem posteris magistratum suum reliquisset (4) », præterita beneficia majoribus etiam superare aggressus, gratiam Eumenis et Attali, qua ipse fretus Pergami jus civitatis adeptus erat, artificibus omni ope conciliavit, quos in cognomen regium adscitos verisimile est privilegiis ornatos fuisse (5). Tandem decedens, ut convenientia totius vitæ tenori beneficia relinqueret, ædem Attalicam sumptibus suis ædificatam, domum regiæ contiguam, decem mille et quingentas drachmas, quarum ex reditu fierent sacrificia et cœtus artificum, servos suos, utensilia ad ornatum templi aut scenicum apparatum necessaria sodalitatis esse testamento jussit (6).

Artifices contra, quum tot et tantis beneficiis respondere studerent, in hunc virum congestis omnibus hono-

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3068 C.
(2) *Corpus inscr. gr.*, 3067, 3068 A.
(3) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 9-10.
(4) *Corpus inscr. gr.*, 3068 B, l. 11-12.
(5) *Corpus inscr. gr.*, 3069, l. 9-2.
(6) *Corpus inscr. gr.*, 3069. l. 20-28; 3071.

ribus humanis, ne divinis quidem abstinuerunt. Quippe in theatro ante statuam Cratonis tripodem et thuribulum constitui jusserunt, mandata sacerdoti regis Eumenis cura ut quotannis thus in ejus honorem cremaretur (1). Post illius autem obitum, ne tanti viri memoria evanesceret, dies solennes de ejus nomine peragi et quæ mandata Crato de munere suo ediderat, sacræ legis nomine, rata esse jusserunt (2). Quin etiam scenici, tantis beneficiis et tanta Cratonis apud reges gratia facilius inducti erant ut deminutionem status popularis paterentur. Quippe in ultimis illius vitæ temporibus, ita scribere licuit : « Crato, sacerdos collegii iis qui sub ipso congregati et positi sunt (3). »

Ut apud justam civitatem, sic apud artificum collegia, legationum usum et proxenorum institutionem reperimus. Proxenos artificum fuisse e titulo Rhegio jam licet suspicari; sed male descripti lapidis non ita certum esse testimonium arbitror (4). Altero autem tollitur omnis dubitatio, cujus initium prave restitutum in meliorem formam redegi (5).

[Τὸ κοινὸν τῶν περὶ τὸν Διό-]
σον τεχνιτῶ]ν τῶν εἰς Ἴσθ[μον
καὶ Ν]ε[μέ]αν συντελούν[των......
Ζευξίππου τὸμ πρόξενο[ν καὶ εὐεργέτην
ἑαυτῶν Διονύσωι ἀρετῆς ἕνεκεν καὶ
εὐνοίας, ἣν ἔχων διατελεῖ εἴς τε τοὺς
τεχνίτας καὶ τῆς εἰς τὸν θεὸν εὐσεβείας.

De proxenis, quod proprium fuit Græcarum civitatum institutum, disserere supervacuum sit, quippe qui plu-

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3068 A, l. 23-28.
(2) *Corpus inscr. gr.*, 3069, l. 34-36.— (3) *Corpus inscr. gr.*, 3070.
(4) *Corpus inscr. gr.*, 5762.
(5) Keil, *Sylloge inscr. bœot.*, p. 80.

rimis titulis innotuerint et commentariis sint illustrati, ut fere jam nulla res melius sit perspecta (1). Ad rem pauca satis erit repeti. Proxenus dicitur is qui externæ civitatis fit publicus hospes, ita tamen ut in patria remaneat. Is, pro munere, legatos hospitio excipit; eis consilii populique adeundi copiam facit; privatis qui in ipsius urbe peregrinantur, auxiliatur; omnino res privatas publicasque illorum quorum decreto proxenus factus est apud suos adjuvat et tuetur. Hunc igitur Zeuxippi filium, cujus statua ab artificibus Baccho consecratur, Thebanum esse civem apparet et in patria sua versari. Quem scenici ex Isthmo et Nemea proxenum sibi elegerunt ut publicam collegii utilitatem, si quid negotii ipsis cum Thebano populo incideret, officiis et auctoritate sua tueretur, simulque privatis artificum necessitatibus qui Thebas, artificii gratia, sese contulissent, ubi opus esset, subveniret.

Quin etiam collegia suam rem apud civitates tanquam æquo jure per legationes defendebant. Quas benigne excipi solitas fuisse ex eo conjicias quod Teii artifices duo legatos ad populum miserunt ut locus sibi ad ponendam Cratonis effigiem publice daretur; alios quoque ad Delios qui populum consiliumque adeuntes dignarentur dari suo collegio locum in quo poneretur ejusdem effigies (2). In alio lapide, prioris legationis comiter ab Iasensibus exceptæ fit mentio; tum altera ad eosdem mittitur quæ decretum collegii de mittendis Iasum artificibus ad populum senatumque perferat et eorum sententiis ratum fieri curet. Qua legatione funguntur poeta tragicus, citharœdus, synagonista tragicus, ita suffragiis sociorum designati ut unicuique trium partium quibus constabat

(1) Ch. Tissot, *des Proxénies grecques,* Dijon, 1863.
(2) *Corpus inscr. gr.,* 3067, in fine.

collegium suus esset legatus (1). De duabus Atticorum scenicorum ad Amphictiones legationibus, quid egerint, serius inquiremus; nunc quales fuerint satis erit ostendere. Una functi sunt tragœdiarum poeta et tragicus actor; altera, unus tragœdiarum poeta, quatuor tragici hypodidascali; unde fit verisimile in Attico collegio minimam fuisse musicorum auctoritatem, plurimum autem valuisse qui fabulis agendis operam dabant (2).

Illustrata collegiorum scenicorum ratione, res ipsa admonet ut ea cum thiasis et ceteris id genus collegiis conferam, quibus vulgo scenici artifices adscribuntur. Nonnulla enim in utrisque congruunt, sed multo plura, et ea quidem majoris momenti, discrepant, quæ accuratius persequi oportet.

Thiasi numinis cujusdam patrocinium et cognomen assumunt, ut Serapiastæ, Paniastæ, etc. Non patriæ sed cultus communione maxime congregantur. Præterea, ut in scenicis collegiis, ita in thiasis, res per magistratus et sacerdotes annuos administrantur, tum summa potestas concionis est in qua congregati sodales universi suffragium de omnibus ferunt, de magistratibus eligendis, de accipiendis rationibus, de mulctis et ceteris, quæ penes populum scenicorum fuisse modo vidimus. Sunt et thiasis suæ leges, sua templa, sui reditus, commune ærarium; iidem bene meritis tribuuntur honores ita ut speciem intuenti scenica collegia nihil aliud quam thiasi genus fuisse videri potuerint.

Si quis vero inspiciat, profecto quam diversum sit utrumque genus intelligat. Primum enim in thiasis par

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 281, l. 4, 26-36. Verba legatorum vide p. 59.

(2) Decreta Amphictionum, l. 35-37; 42-48. — De hypodidascalis vide p. 75.

est mulierum et virorum ratio, sæpe etiam major mulierum quæ aliquando sodalitatis sacerdotio funguntur; at contra scenici collegii feminam nullam participem fuisse vidimus. Insuper libertis atque etiam servis thiasi patuerunt, quum inter scenicos artifices nullum nisi ingenuum civem receptum fuisse ostendimus. Denique in pari utrorumque pietate, in pari sacrificiorum et religionum cura, si quæremus quæ fuerint utrisque numina, multo majus discrimen inter thiasos et scenica collegia apparebit. Illi enim ad colendos externos deos instituti sunt, Matrem Magnam, Syriam Venerem, Sabazium, Serapim, atque peregrinos ritus, peregrinas cœrimonias, ut nocturnas pervigilationes, ad tympana et cymbala saltationes freneticas, Attidos amores et calamitatem, quidquid denique Phrygiis et Syriis superstitionibus continetur, constantissime retinuerunt et studiose propagarunt. Unde natum illud sacrificulorum et hariolorum despectum genus per compita vaticinantium et stipem rogantium, ingenti apud servos et anus gratia, haud minore honestorum civium contemptu. Artificibus vero præcipua Bacchi religio cujus in honorem instituti sunt et viguerunt ludi scenici; si quas alias religiones coluerunt, publicis et græcis numinibus contenti, nunquam ad illum barbarorum deorum gregem reciderunt. Nihil igitur inter Διονυσιαστάς et Διονυσιακοὺς τεχνίτας fuit commune, nisi fortuita nominis similitudo, quum illi Liberum barbariam redolentem, hi Bacchum Græcum sibi patronum vindicarent; illis externi barbarique ritus cordi essent, his patria rei scenicæ meditatio. Nec minus diversa utrorumque æstimatio. Thiasotæ, si quando, data per populi decretum licentia, suis numinibus templa erexerunt, suspecti tamen et despecti manserunt, exercitis etiam interdum quæstionibus adversus eos qui novos deos inferebant. Aliam omnino fuisse scenicorum collegiorum conditio-

nem et ea quæ jam supra diximus et illa maxime quæ disputanda sunt, ostendent (1).

IV.

Quomodo scenica collegia ab oraculis deorum bene habita ipsis diis gratiam habuerint?

Magnifice de semetipsis sensisse scenicos artifices declarant tituli. Laudant enim curatorem suum Attici quod beneficiis adeptus sit « artificum benevolentiam omni pecunia potiorem (2) ». Amplius etiam illud Teiorum a quibus prædicatur « immortalis artificum gloria quos et dii et reges et Græci universi honori habent (3) ».

Hanc verborum superbiam res ipsæ (rarum in hominibus de semetipsis prædicantibus) adeo non refellunt aut extenuant, ut contra confirment atque etiam augeant.

Rei scenicæ semper favisse deos testantur oracula quum ab Apolline Pythio, tum a Jove Dodonæo edita; quibus recitatis addit Demosthenes : « Sunt civitati, Athenienses, et hæc et multa alia oracula, bona et præclara. Quid igitur ex illis nos in mente habere oportet? Illud sane : cetera quidem sacra diis in unoquoque responso designatis peragi jussum, sed choros institui et cives coronari secundum patria instituta, in omnibus semper oraculis additum (4). » Hæc vocabula χόρους ἱστάναι latius quam ad choros ipsos spectare et rem sceni-

(1) De thiasis vide Foucart, *des Associations religieuses chez les Grecs*. Paris, 1873.

(2) Fr. Lenormant, *Recherches à Éleusis*, 26, l. 43.

(3) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 16-17.

(4) Demosth., *in Midiam*, 51-55.

cam omnem complecti testatur Iasensis titulus. In quo, quum Teii scenici spondeant se Iasum missuros artifices qui choros instituant in honorem dei secundum patria civitatis instituta, non tibicines solum duo designant, sed etiam tragœdos et comœdos duo, citharœdum et citharistam (1). Quorum quis usus fuisset, si de choris solum ageretur? Satis igitur manifestum est illa vocabula, prisci temporis memoria quo festum omne per choros peragebatur, etiam serius usurpari solita, rem contra multo latius patere.

Nec minus erga scenicos artifices quam erga rem scenicam dii benevolentiam suam aperte declaraverunt. Quippe in Teio lapide memorantur Apollinis oracula « quibus Græci obsecuti artifices quum pace tum bello tutos et inviolatos esse universi jusserunt (2) ».

Sacri igitur artifices et sua et, quod gravius est, omnium opinione habiti sunt. In exercenda arte, non voluptati hominum per ludicra, sed deorum religioni eos consulere arbitrabantur. Neque enim cum Iasensibus pacta esse conventio dicitur ut ii spectaculis aut musicis ludis gaudeant, sed ut, artificum auxilio, debita ex institutis majorum pietatis erga deum officia persolvantur (3). Neque aliter ipsi Amphictiones eorum artificium definiunt nisi « ut diis officia legitima, quibus præpositi sunt artifices, peragantur in statis temporibus, quum sint ipsi omni negotio vacui et sacri ad deorum exsequendos legitimos honores (4) ».

Propter quæ scenici sese e communi hominum conditione exserunt et sibi sacrum quemdam statum vindicant atque in ipsa collegiorum designatione Bacchi

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 281, l. 15-17.
(2) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 17-19.
(3) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 281, l. 16.
(4) Decreta Amphictionum, l. 15-18.

patrocinio gloriantur. Jam omnia ad cœtum suum pertinentia non communibus rerum vocabulis, sed sacris appellant; non collegium, sed sacrum collegium; non lex, sed sacra lex dicitur; si quis aliquid muneris confert, non dat, sed consecrat. Res quoque cum oratione congruunt. Suum cuique collegio templum τέμενος (sic enim dicitur ædificium in quo coire solent) (1); ad quod ornandum festis diebus magni sumptus erogabantur. In hoc, communis erigebatur artificum ara, ἑστία, ad quam solenniter agebantur vota et libationes (2). Additum sacris, ut mos est, convivium in quo, postquam per magistratus libatum fuerat, revocabatur memoria virorum qui de collegio bene meriti erant (3). Nec quidquam artificibus laudabilius visum fuit neque in decretis ullum gratius memoratur beneficium quam pietas erga deos et in sacris procurandis diligentia et munificentia (vide p. 35). Adeo apud Græcos divinæ originis memoria huic arti penitus inhæsit ut neque temporis diuturnitate, neque rerum mutatione obliterata evanesceret, sed ab his collegiis renovata ad antiquam religionem magis et magis spectaret atque, sanctitate numinis auctoris, ipsæ res, ipsi homines consecrarentur. De quo ne dubites bina Amphictionum decreta admonent, quum bis illud commune Græciæ consilium artifices *sacros* appellet.

Præcipua sane, ut apud Dionysiacos artifices, Bacchi festa; hunc patronum suum et præsidem nuncupant; hujus sacerdoti primarius in collegio locus; in hujus æde exponuntur quum incisa marmori decreta, tum pictæ aut æneæ benefactorum effigies. In hujus honorem, præter Dionysia, quæ communia sunt omnium,

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3069, l. 31.—Foucart, *titul. laudat.*, l. 16-20.
(2) Athenæus, V, p. 212.
(3) *Corpus inscr. gr.*, 3068 A, l. 21; 3068 B, l. 16.

scenici unum diem solennem instituerunt, qui dei dies proprie diceretur (1); in theatro, pompa ducebatur cujus mentio ita fit ut parvi fuisse res ipsa scenica videatur præ cura rerum divinarum (2). Repetita etiam, secundum collegii leges, quoque mense, nomine artificum sacrificia (3). Pietatis documentum fuit insigne, si quis scenicus in certaminibus victor personas et coronas dedicaret (4).

Non vero sola Bacchi religione continetur hæc artificum pietas, sed ad alia quoque numina se vertit, non illa peregrina et externis superstitionibus colenda, sed ad deos vere Græcos et patrio omnium civitatum cultu prosequendos. Laudatur Teii collegii sacerdos ob sacrificia bene et splendide et digne collegio peracta non Baccho solum, sed Musis quoque et Apollini Pythio ceterisque deis (5).

Quin etiam artifices, pietatis causa, externa templa adibant, ea maxime quæ sacrosancta mysteriorum religione inclaruerant. Quum enim in marmore Samothracio nuper effosso, nomina theororum, id est legatorum sacrorum, qui a Græcis civitatibus ad venerationem Magnorum Deorum mittebantur, proferantur, occurrunt theori a collegio Ioniæ et Hellesponti publice missi (6). Andaniæ, lege jubebantur viri ad procuranda mysteria designati quotannis ex artificibus tibicines et citharistas præscribere, sacris et mysteriis operam daturos. Qui

(1) Foucart, *Revue archéol.*, 1870, t. II, p. 107, l. 32.

(2) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 23 et seq.

(3) Foucart, *titul. laudat.*, l. 13.

(4) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 92. — Dorotheus Sosiclis filius, Thebanus tibicen, in æde Bacchi consecrat capistrum et tibias cum dedicatione haud invenusta. Anthol. palat. *Append.* 7.

(5) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 12-14.

(6) Conze, Reise auf den Inseln des Thrakischen Meeres, p. 65.

etiam in partem convivii sacri vocabantur atque ipsorum quoque operæ quibus in ministerio usi fuerant (1).

Eleusine vero, qua civitate nulla sanctior, egregia scenicorum pietas. Quo non solum migrabant ut rem ludicram in theatro, tempore mysteriorum, factitarent, sed etiam ut sacra sua, collegii nomine, per suos magistratus Cereri et Proserpinæ peragerent. Hic, quod nulli alii unquam concessum audivimus, id artifices impetraverunt ut privato altari et templo uterentur. Quam partem tituli Eleusinii integram appono. « Collegium..... augens, quantum potest, et sacra et alios omnes, qui decreti fuerunt diis et benefactoribus, honores, decrevit et ipsum sacrificare et libare Cereri et Proserpinæ, mysteriorum diebus, et altare exstruxit et, quum templum paravisset Eleusine, libationes et pæanas per plures annos continuos peregit. » Quibus in bello, nescio an Syllano, dirutis, nihil artificibus antiquius fuit quam ut patria sacra interrupta renovarent. Pro munere suo, curator « restituit patria sacrificia in Dearum honorem » ; idem « bis litavit, diebus a patribus institutis, libationes, σπονδὰς καὶ ἐπιχύσεις, et pæanas Deabus perfecit ». Pari studio artificum et curatoris, jacentia ædificiorum rudera excitata sunt. « Eum invitaverunt et enixe impulerunt ut curam quoque susciperet instaurandi templi ut ad aram patriam, sine obstaculo, sacra perficiantur. Ille vero, quum erga Deas pietate, tum insuperabili erga artifices benevolentia impulsus, propria cura, ex iis quos ipse invenit, ad utilitatem collegii, reditibus, instaurationem templi perfecit et temporum calamitate eversum altare ipse rursus erexit (2). »

(1) Le Bas et Foucart, *Inscr. du Péloponnèse*, 326 *a.*

(2) Fr. Lenormant, *Recherches à Éleusis*, 26, l. 6-11 ; 14 ; 17 ; 20-28.

Secundum deos, plurimi regum honores, non humani solum sed etiam divini, pessimo, sed usitato apud victos Græcos adulationis genere, homines in gratia referenda aut quærenda immodicos. Effusi autem artifices fuerunt in honorem regum Pergamenorum. Sacrificia enim peragi solebant non diis solum, sed regibus et eorum uxoribus et fratribus regis Eumenis; laudatur in sacris faciendis pietas sacerdotis erga deos et reges (1). De sacerdote Eumenis et vivi et defuncti jam mentio facta est (vide p. 20). Quin etiam, ut ipsius Bacchi, ita regis dies sacra cum pompa instituta fuit. Nec minor collegii erga fratrem Attalum nec magis verecunda pietas. Quippe in ejus honorem ædem theatro contiguam dedicaverunt (2), et solenniter certamina ejus nomine commiserunt (3). Illud ultimum fuit, quod, neglecto prisco Bacchi patrocinio, Attalistarum nomen, concedente rege, sibi assumpserunt (4).

Cetera collegia non minus demisso erga reges Syriæ et Ægypti animo fuisse verisimile est, quum etiam horum, ut deorum benefactorum, nomen cum Bacchi nomine, sodalitati suæ præscribi artifices Cypri studuerint (5).

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 13; 3068 B, l. 8.
(2) *Corpus inscr. gr.*, 3069, l. 20.
(3) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure,* 93.
(4) *Corpus inscr. gr.,* 3069.
(5) *Corpus inscr. gr.,* 2620. — Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 2794.

V.

Privilegia ab Amphictionibus et civitatibus collegiis decreta.

Hæc collegia ex hominibus ingenuis constantia et in formam civitatis congregatis, numinis non solum antiquo patrocinio sed recentioribus quoque oraculis consecrata, pietate, quum in exercendo ipso artificio tum in peragendis deorum sacris insignia, Græcorum favorem sibi conciliasse nequaquam mirum est. Artifices igitur non modo non minore jure quam ceteros, sed etiam præclara quadam conditione fuisse et ipsa rerum ratio indicat et jam aliquot in tabulis inscripta documenta confirmabant. Rem vero multo illustriorem effecit insigne marmor in ipsis theatri Dionysiaci ruderibus, anno 1866, effossum. Huic incisa sunt bina Amphictionum decreta, quorum exemplum ad populum Atheniensem missum et in Metroo, ubi deponi solebant publicæ litteræ, asservatum, artifices marmori incidendum curaverunt et in ipso theatro proposuere. Unum annis circiter 272-189 aut potius 225-189, quo tempore Ætoli in Amphictionico consilio præpotentes facti sunt, assignandum est; alterum annis 189-172 tribuendum, postquam victor M' Acilius, fractis Ætolorum viribus, antiquam formam consilii restituit. Hæc decretorum tempora, certis argumentis confirmari possunt, sed, quoniam longius res foret repetenda, eam disputationem in præsens omisi, alias de integro repetam. Nunc utrumque, præterita hieromnemonum commemoratione, apposui (1).

(1) Titulum primus edidit Koumanoudis in ephemeride Atheniensi, Χρυσαλλίς, 15 janv. 1866. Gallice transtulit Egger et inseruit libro : *Études historiques sur les traités publics*, p. 287 et sq.

« Dii. E Metroo.... Placuit Amphictionibus et hieromnemonibus et agoratris et synedris universis inviolatos et immunes esse artifices qui sunt Athenis; ne liceat trahere ullum artificem neque bello neque pace, neque terra neque mari; sed illis supersit immunitas et securitas, jam prius ab omnibus Græcis concessa; sint autem artifices immunes omni militia et terrestri et maritima, ut deis legitimi honores, quorum gratia instituti sunt artifices, peragantur statis temporibus, quum eis negotia facessere nemini liceat et ipsi sint sacri ad deorum legitimos honores. Nemini vero liceat trahere artificem bello aut pace neque ejus res rapere, nisi quis ob debitum civitati obnoxius sit aut privatim privati debitor sit artifex. Si quis vero his contraria fecerit, ratio reddenda sit apud Amphictiones et ipsi et civitati in qua injuria artifici fuerit illata. Supersit autem et immunitas et securitas data ab Amphictionibus artificibus qui sunt Athenis, in omne tempus, quum sint sacri et inviolati. Scribis curandum sit ut hoc decretum tabulæ marmoreæ incidant et in templo proponant, mittant quoque ad Athenienses hujus decreti exemplum obsignatum, ut sciant Athenienses Amphictionibus maxime cordi esse erga deos pietatem et comprobari rogationem artificum, ipsosque studere ut in futurum et hæc servent in omne tempus et quidquid aliud boni habeant decernendum de scenicis artificibus. Legati erant Astydamas, tragœdiarum poeta, Aristodemus (?) tragœdus.

« E Metroo. Demostrato archonte, mense Boedromione. Consilium Amphictionum Atheniensium senatui et populo salutem. Quum ad nos venerint legati artifi-

Repetiit ex exemplo græco et chartaceo typo Wescher (Mémoires présentés à l'Académie des inscriptions, t. VIII, p. 202). Ipse denuo titulum recensui, quem aliqua ex parte auctum et aliquot locis emendatum publici juris facere mihi in animo est.

cum qui collegii, quod apud vos est, participes sunt, Dionysius Nymphii, tragicus hypodidascalus, Thymoteles Philoclis, tragœdiarum poeta, Elpinicus Epicratis, tragicus hypodidascalus, Philio Philomeli, tragicus hypodidascalus, Aristo Zenonis, tragicus hypodidascalus, et opinati sint quod a nobis acceperunt responsum ad vos quoque mittendum esse, ad vos scripsimus decreti nostri exemplum.

« Archonte Delphis Aristione Anaxandridæ filio, mense Bucatio, Pythiis, placuit Amphictionibus qui in unum coiverunt, hieromnemonibus..... (sequuntur nomina hieromnemonum, quorum pars periit).

« Quum scenici artifices qui sunt Athenis miserint decretum et legatos... (repetuntur nomina legatorum)... et commemoraverint datam prius, decreto Amphictionum, artificibus qui sunt Athenis immunitatem et securitatem, quumque invitent Amphictiones ut, convenientia agentes majorum voluntati, tueantur quæ ipsis humane decreta fuerunt; ut igitur appareat Amphictiones quæ prius placuerint confirmare, placuit Amphictionibus artifices qui sunt Athenis inviolatos et tutos in omne tempus esse, quemadmodum fuerunt e principio, et esse sacros et immunes; nemini liceat trahere artificem Attici collegii neque pace neque bello, neque res ejus rapere, neque pro pignore capere, sed sint sacri et omni negotio vacui, nisi quis eorum aliquem agat ob debitum privatum. Si quis vero his contraria fecerit, ratio reddenda sit apud Amphictiones et ipsi et civitati in qua injuria artifici fuerit illata, ut his factis artifices qui sunt Athenis inviolati et tuti sint atque appareat Amphictiones convenientia majorum voluntati facere; inscribatur vero hoc decretum Delphis; similiter et mittatur hujus decreti exemplum ad populum Atheniensium ut obsequantur eis quæ de Atticis artificibus humane decreverunt Amphictiones,

supersint autem hæc Atticis artificibus, nisi quid Romanis contrarium sit. »

Illud primum facile est animadvertere, in utroque titulo, aliis verbis, res fere easdem repeti, nec quidquam magis e posteriore quam e priore lucrari artifices. Quod si tamen summopere ab Amphictionibus alterum decretum flagitaverunt, ea causa fuit, quod mutata consilii ratione, veriti sunt ne prioris decreti vis et auctoritas abrogata videretur. Hoc enim ab hieromnemonibus tum edictum, quum florebant res Ætolorum et ipsi consilii participes plerosque ex antiquis gentibus expulerant. Restituta autem a Romanis victoribus prisca consilii forma, curandum fuit ut eadem novo decreto sancirentur.

Etsi ad populum Atheniensem de Attico tantum collegio mittuntur Amphictionum decreta, certum est tamen ea non propria Atticorum artificum, sed universorum communia fuisse. Quod lapidum testimoniis confirmatur. In titulo lacero et prave descripto, inter incerta quædam quæ restitui non possunt, agnoscere tamen licet Amphictionum epistolæ reliquias ad Athenienses missæ, in qua mentio fit artificum ex Isthmo et Nemea, necnon securitatis ipsis concessæ (1). In altero quoque, non melius habito, decretum tenemus Amphictionum quo peculiari tutela protegant ejusdem collegii artifices Thebas, Dionysiorum causa, commigrantes (2). Hæc quidem aliqua ex parte obscura sunt, illud vero Teiorum apertissimum qui gloriantur « quod universi Græci jusserint inviolatos et tutos esse omnes artifices et in bello et in pace, obsecuti oraculis Apollinis (3) ».

Jam universorum Græcorum consensum, ut Teius

(1) Le Bas, *Attique*, 376, l. 11-12.

(2) *Corpus inscr. gr.*, 1689, ubi Bœckhii emendatio nequaquam recipienda est.

(3) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 17-19.

lapis, ita Amphictionum decreta commemorant (1). Quem datum fuisse, et indicia quædam in scriptoribus, quæ mox repetam, supersunt et duorum populorum tituli diserte confirmant. Quum enim Teiorum civitas ad omnes legationem misisset quæ rogaret ut suam urbem Baccho consecratam inviolatam esse juberent, inter plurima responsa, quæ Tei parieti cujusdam ædis incisa usque ad nostram ætatem permanserunt, Ætolorum et Delphorum decreta notanda sunt. Hi enim, postquam benigne exceptæ legationis mentio facta est et sedulo definitæ sunt immunitas et tutela urbi agroque et incolis Tei concessæ, addunt: « sicut et scenicis artificibus ». Illi etiam disertius « quemadmodum in scenicis artificibus fieri lex Ætolorum jubet (2) ». Unde fit verisimile in omnibus civitatibus certas leges ratas fuisse, quarum peculiari tutela scenici artificium suum exercerent.

Ceterum, ut hæc privilegia maximi momenti, ita in iis conferendis nihil inusitatum excogitaverunt Amphictiones, sed pleraque e priscis temporibus et majorum institutis repetita fuisse arbitror, quæ in oblivionem aut dubium adducta artifices studuerunt ut per commune Græcorum consilium renovarentur, confirmarentur, et melius definita in omni Græcia vigerent. Quæ singula recensentes, planius videbimus in his rebus Amphictiones nihil attulisse novi, præter sanctionem.

Omnino, si quæris, duo sunt quæ artificibus extra jus commune tribuuntur : immunitas et inviolabilitas.

1° Immunitas in utroque decreto sæpius commemorata, quarum rerum sit, prior explanat titulus, jubens « artifices omnino immunes esse militia, quum maritima tum pedestri (3) ». Apud Romanos quoque provisum

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 17. Decreta Amphictionum, l. 13.
(2) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 84-85.
(3) Decreta Amphictionum, l. 14-16.

erat ne histriones stipendia facerent (1). Sed, in eadem conditione, causæ diversissimæ : hi, ob turpitudinem artificii, legionibus exclusi, illi, honoris et sacri ministerii gratia, militia immunes. Hujus beneficii auctorem, si Diodoro Siculo credimus, ipsum Bacchum veteres Græci putaverunt. « Bacchus thymelicos etiam ludos instituit, theatra exhibuit et musicorum acroamatum scholas constituit. Ad hoc illos publicis muneribus immunes esse voluit, qui in expeditionibus bellicis aliquid musicæ artis tractarent. Unde musica scenicorum artificum collegia posteri instituerunt et studiis hisce deditos immunes esse jusserunt (3). »

Hanc vacationem militiæ, deo auctore, Athenienses, Demosthenis ætate, scenicis tribuisse videntur, sed eam nec perpetuam nec universis concessam. Demosthenes enim de Sannione et Aristide verba fecit, chororum magistris, qui ob desertam militiam damnati fuerant (*In Midiam,* 58, 59). Præterea, quanquam id usitatum atque etiam lege ratum fuerat ut, qui Dionysiis chori participes futuri essent, militia vacarent, Midias hipparchus, ut Demosthenis chorum turbaret, non sivit ejus choreutas immunes esse (*In Midiam*, 15; *Schol.,* p. 519, 14). Ex quo videtur tunc temporis, in Atheniensium civitate, eam vacationem, non nisi permittente legitimo magistratu, concedi potuisse. Hoc tamen Midiæ, etsi e lege actum, impuri hominis visum est et magis privatæ simultatis quam publici erga civitatem studii. Usus enim invaluit ut choreutis in annum muneris immunitas daretur; qua facultate abusi choragi eos juvenes potissimum deligebant quibus per ætatem militandum erat. Quæ nimia facilitas adeo perniciosa facta est ut Demosthenes, in tertia oratione Olynthiaca, non magis leges de theatrali pecunia

(1) Livius, VII, 2. — (2) Diodorus, IV, 5.

quam de vacatione militiæ, tanquam ad perniciem civitatis redundantes, aggressus sit (*Olynth.*, III, 11). Suasit etiam, sicut tradidit grammaticus aliquis, ut quicunque catalogo inscripti essent militare cogerentur, et in chorum eligerentur quorum ætas nondum usui esset (*Schol.*, p. 31, 16). In choris igitur, Athenis, militiæ vacationem ex lege dari posse, eamque plerumque fuisse concessam, aliquando tamen a magistratibus negatam videmus. De actoribus et musicis nihil compertum habemus.

Omnem vero dubitationem sustulerunt Amphictiones a quibus decreta fuit in perpetuum artificibus qui collegii participes erant, vacatio militiæ. Quam, Augusti temporibus, scenicis ab omnibus concedi docuit Diodori locus supra laudatus (IV, 5).

2° Alterum jus, quod non minus fuit, duobus vocabulis, ἀσυλία et ἀσφάλεια, definitur, quæ, plerumque in proxenorum decretis conjuncta, idem fere significant. Si accuratius quæras, hæc ad personas, illa ad res spectat. Omnino vetitum « ne cui liceret artificem trahere, neque bello, neque pace, neque res ejus rapere (1) ». Quantum hoc valeat, declarant tituli quibus idem jus Teiorum civitati conceditur. « Si quis publice aut private Teiis injuriam fecerit contra decretam a nostra civitate ἀσυλίαν, liceat cuilibet Teiorum præsenti quum res, tum servos prehendere, si quis abegerit; magistratus autem qui munere fungentur eos qui teneant reddere cogant, nec ob id mulctam aut litem subeant (2). » Alia etiam tabula, jus auxilii non magistratibus solum sed privato cuique tribuitur, ita ut Teio res suas repetenti privatus auxiliari possit, magistratus debeat (3). Majus etiam in

(1) Decreta Amphictionum, l. 19-20.

(2) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 70. Cf. 66, 67, 68 *a*.

(3) *Ibidem*, 73.

Apterensium decreto additur : « Si quis ex Aptera Teiis injuriam fecerit, teneatur lege de sacrilegio (1). » Pluribus rem explanant Ætoli « Ne liceat cuiquam Ætolorum aut eorum qui Ætoliam incolunt trahere Teios aut eos qui Teum incolunt, ex quolibet loco impetum facienti; sed ii tuti et inviolati sunto ab Ætolis et ab eis qui Ætoliam incolunt. Si quis vero trahat vel ipsos vel res ex urbe aut agro, quæ quidem manifesta erunt, ea recuperanto prætor et novi semper synedri; de iis vero quæ non erunt manifesta, ratio reddenda sit illis qui injuriam intulerint, Teiis data facultate litis intendendæ et cetera jure persequendi, quemadmodum et in scenicis artificibus fieri lex Ætolorum jubet (2). » His ultimis verbis admonemur jam antea idem juris artificibus concessum fuisse quod tunc Teiis conceditur. In bello quid hoc valeat, satis perspicuum est; in pace, meminisse oportet, quando lis peregrino intenderetur, civi licuisse rebus et servis, de quibus litigetur, statim manum injicere. Quas vindicias, adversus externos legitimas, sustulit ἀσυλία artifici concessa. In omnibus igitur regionibus, res suas repetere aut adversus repetentem tueri, tanquam civis, potuit; adjutores etiam habuit magistratus qui in munere erant, privatos, quicunque volebant.

Quæ securitas Amphictionum decretis confirmata est et pluribus verbis definita. Additum etiam in altero ne cui liceat artifices pro pignore trahere, ῥυσιάζειν (3). Quod quidem e nova collegiorum institutione ortum; quum enim sodalitatis nomine cum urbibus aut privatis pacta fierent, timendum fuit ne, iis neglectis vel violatis, aut artifex aliquis traheretur, aut ipsius res raperentur ut pignoris loco essent.

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 75.
(2) *Ibidem*, 85. Cf. 84. — (3) Decreta Amphictionum, l. 84.

Cautum tamen, prudenti exceptione, ne privatæ scenicorum licentiæ per privilegia collegiorum impunitas daretur. Vetito igitur ne quis artificem rapiat, additur : « nisi quis ob debitum sit civitati obnoxius (1) ». Nempe, quum in aliis æs alienum contrahere potuerunt, tum privatim cum civitatibus de ludis agendis paciscebantur, quibus si defuissent, accepti pignoris duplex mulcta solvenda erat (vide p. 32). Adversus quam injuriam jus omne suum retinuerunt civitates, quo aut ipsum artificem aut ipsius res raperent. Eadem exceptio in privatis « nisi quis privatim privati debitor sit (4) ». Nec sine causa dictum fuit illud *privatim*. Duplex enim artificis persona; si quid pactus nomine collegii, promissis non steterat, nullæ in eum vindiciæ legitimæ; sin proprio nomine æs alienum contraxerat, de jure suo non cadebat creditor. Idem cautum fuisse ab Amphictionibus et in ceteris beneficiis suis admonet alia tabula quam paulo infra plenius proferam (vide p. 47).

Jam ἀσφάλεια ad artifices ipsos spectat. Quod jus maximum videbitur cuicunque cogitanti quam frequentia fuerint inter Græcos bella, quam subiti finitimorum hostium impetus, quam duræ belli leges quibus victi a victore in servitutem rapi et vendi poterant. Artificibus autem maxime necessarium, quibus tam sæpe, tam longe a patria vel collegio, artis exercendæ causa, itinera suscipiebantur; quæ nequaquam fieri potuissent si inter bellantes deserta injuriæ præda jacuissent. Itaque jam multo ante et institutis et usu receptum fuerat ut inviolati in bello versarentur. Sic, quum armis flagraret Arcadia, concurrentibus Spartanis et Achæis, scenici artifices placide e Messenia remeantes per agrum Megalo-

(1) Decreta Amphictionum, l. 20-21..
(2) *Ibidem*, l. 21-22; cf. l. 85.

politanum exercitui Cleomenis occurerrunt a quo non modo non vexati sunt, sed etiam ipsis in castris editum spectaculum et proposita victoribus præmia (1). Superiore jam sæculo, quum terra marique decertarent Athenienses et Philippus, duobus actoribus Atticis, Aristodemo et Neoptolemo, nullo obstaculo, nullo periculo, Athenis exire, ad regem Macedoniæ adeundum, mare infestum prædonibus transire, terram hostilem ingredi per omnes licuit (2). Ita, quod Aristophanes in Dicæopoli suo finxit, ut solus inter armatos placida pace frueretur, id vere artificibus contigit ut inviolati nullo armorum, nullo militum agentium et trahentium metu, secure per medios exercitus commearent, non privato et turpi fœdere, ut ille, sed communis dei ministerio consecrati.

Sanctio autem decretis suis ab Amphictionibus addita « ut ei quicunque contra hæc quidquam ageret, ratio reddenda foret apud hieromnemones quum ipsi tum urbi in qua injuria artifici fuisset illata (3). » Hac sanctione plerumque sua beneficia confirmaverunt Amphictiones; quam in decreto utroque, iisdem fere verbis conceptam, et in aliis reperire est, nempe in illo titulo adhuc inedito quem ipse, facta excavatione in templi Delphici ruderibus, repertum cum aliis descripsi. Ubi Amphictiones, quum variis honoribus et privilegiis exornent viros pietate et studio in vindicandis templi opibus et contra nefarios ausus protegendis insignes, decernunt « et ipsos et posteros eorum inviolatos esse debere et bello et pace et iisdem gaudere quibus ceteri qui de deo et de Amphictionibus bene meriti sint; si quis vero

(1) Plutarch., *Cleomen.*, 12.

(2) Demosth., *De pace* 6; *De male gesta legatione*, 315; cf. argumentum.

(3) Decreta Amphictionum, l. 20-25; 85-87.

alicui eorum injuriam intulerit, ei rationem reddendam fore in tribunali Amphictionum, secundum legem. » In decreto de architecto Delphici templi, quod a Philippo Le Bas jam editum paulo plenius legere potui, ea sunt in fine : « Placuit hieromnemonibus inviolatum esse et ipsum Damonem et res ipsius;..... si quis vero quidquam amoverit ex hujus rebus, ei qui rapuerit mille (?) stateras solvendos esse deo consecrandos, Damoni autem licere eum in jus agere apud hieromnemones; civitatem vero Delphorum et ceterorum Græcorum quicunque voluerit, opem ferre Damoni adversus rapientes, nisi quis rapuerit ob pactum privatum aliquam accusationem inferens Damoni (1). » Artificibus vero violatis, culpa non in auctorem unum delicti recidit, sed in urbem quoque in qua admissum fuerit delictum.

Ex his autem patet magnam fuisse etiam ea ætate Amphictionum vim et auctoritatem, et in quibusdam rebus et temporibus vere commune Græcorum consilium prædicari potuisse. Magnum sane illud cives communibus muneribus ferendis liberare, violatorem decretorum civitatis suæ judicio eripere et hieromnemonum sententiis damnandum tradere, atque etiam urbi quæ in agro suo talia patrari siverit mulctam irrogare. Sed, ut Delphici oraculi, ita Amphictionici consilii auctoritatem in rebus sacris facile accepit Græcia. Quid autem magis ad religionem pertinuit quam secure artifices ad placandos colendosque deos operam civitatibus præbere? Quid piis hominibus dignius quam oraculis Pythii Apollinis obsequi?

Congruens cum beneficiis Amphictionum oratio et quo fuerint animo non res solæ sed ipsa verba benevolentiæ plena declarant : « ut videant Athenienses studere Am-

(1) Le Bas, 3e *partie*, 840.

phictiones ut et hæc servent in omne tempus et quidquid aliud boni habeant de scenicis artificibus decernendum (1). » Nec defuit aut comitas in accipiendis scenicorum legatis, aut diligentia in incidendis tabulæ in templo decretis, aut mittendo ad populum senatumque Atheniensium litterarum exemplo. Quæ res Amphictionibus adeo digna studio et ipsorum pietati conveniens visa est ut quinque etiam aliorum lapidum fragmenta teneamus, in quibus de scenicis splendide aut benevole consulitur (2). Quæ quum miserrime habita sint, paucissima erui possunt; illud tamen in uno manifestum est, ceteris quibus jam gaudebant artifices addi jus χρυσοφορίας, id est ferendæ aureæ coronæ (3). Quod quidem parvi momenti videtur et gloriæ potius artificum quam utilitatis gratia concessum. Sed cum his insignibus conjungi alia maximi pretii docet Demosthenes. Quum enim Athenis pœnæ delictorum secundum personas et tempora variarent, si quis verbo aut facto privatum violavisset, adversus eum vis aut maledicentiæ actio ferebatur; super solitas pœnas, irrogabatur *indignitas*, ἀτιμία, quæ civi gravissima pœna fuit, si quis violavisset thesmothetam, archontem aut quempiam eorum quibus civitas immunitatem aliquam aut *jus ferendæ coronæ* aut alium honorem tribuisset (*In Midiam*, 31-33). Hoc igitur novo Amphictionum decreto scenici non inanem honoris speciem adepti sunt, sed jus certum quum, graviore pœna ejus qui injuriam intulisset, facto aut verbo violarentur.

Non minor fuit civitatum erga scenicos benevolentia. Quomodo populum, senatum magistratusque per legatos suos adierint, quam studiose accepta eorum mandata

(1) Decreta Amphictionum, l. 34-37.
(2) *Corpus inscr. gr.*, 1689. — Le Bas, *Attique*, 376-379.
(3) Le Bas, *Attique*, 377, l. 7.

fuerint, jam supra docui. Pretio tamen erit audire qua oratione adversus Iasenses usi fuerint Teii artifices, quorum verba prorsus sunt beneficia magis conferentium quam petentium. « Ut Iasenses quoque populi nostri studium compertum habeant et quam geramus benevolentiam erga amicos temporibus adversissimis, placuit eligi legatos qui, postquam Iasum pervenerint et hoc decretum præsidibus reddiderint et senatum populumque adierint, declaratis honoribus qui ipsis decreti sunt et renovata tradita a patribus mutua amicitia, invitent Iasenses ut retineant eam erga collegium scenicorum caritatem necnon augeant amicitiam convenienter traditæ a patribus benevolentiæ (1). »

Itaque, in agendis ludis, maxime consultum scenicorum honori. In Soteriis, eorum sacerdos, initio tituli cum archonte Delphico et hieromnemonibus inscribitur, unde fit probabile eum inter ludorum præsides locum obtinuisse. Non minorem fuisse ejus rationem in Musæis Thespiensibus docet titulus, his novissimis annis repertus. Cujus initium, quoniam id aliter atque editor, intelligendum puto, emendatum repetam (2).

« Xenone archonte, agonotheta iterum Cleæneto Dasii filio, sacerdote Musarum Polycratida Euphaïni filio, artificum vero Argivo, scriba Amphiclida Cleæneti filio, pyrophoro Cleæneto Dasii filio, illi in Musæis vicerunt. » Hic enim duorum sacerdotum mentio facta est: unus Musarum est, Polycratidas, Thespiensis; alter artificum nescio cujus collegii, Argivus. Athenis memoravi præcipuam fuisse sedem sacerdotis Bacchi Eleutherensis, qui quidem publicus civitatis, non artificum fuit; imperatorum modo ætate constat positas fuisse proprias scenico-

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 281, l. 26-35.
(2) Decharme, *Inscriptions inédites de la Béotie*, 26.

rum sacerdotum sedes (vide p. 97). In Larissæ theatro, certos cuneos artificibus reservatos fuisse declarant litteræ gradibus ipsis inaratæ τοῖς τεχνίταις (1).

Privatim quoque artifices civitatum gratiam sibi conciliaverunt. Neminem enim facilius quam hoc genus civitate aliisque præmiis donarunt. Aristodemum, genere Metapontinum, bis in Lenæis victorem, factum esse Atheniensem scimus et muneribus publicis vel amplissimis functum (vide p. 82). Cratonem quoque Chalcedonium, tibicinem cyclicum, Pergameni civem suum esse voluerunt. Eumdem virum ephebi, prætores et populus Teiorum tribus coronis ornaverunt (2). Alios præterea multos in aliis civitatibus adscriptos, et vulgatam fuisse eam facilitatem testatur Cicero, artificium quidem eorum extenuans ut Archiæ clientis sui æstimationem augeat. « Etenim quum mediocribus multis et aut nulla aut humili aliqua arte præditis gratuito civitatem in Græcia homines impertiebant, Rheginos credo aut Locrenses aut Neapolitanos aut Tarentinos, *quod scenicis artificibus largiri solebant,* id huic summa ingenii prædito gloria noluisse (3). » Statuas etiam artificibus publice aut in urbibus aut in templis positas commemorant quum ceteri scriptores, tum maxime Pausanias et Athenæus. Quam gratiam artificum magis atque magis crescentem e titulis imperatoriæ ætatis minus cognitis melius ostendemus.

(1) Ussing, *Inscriptiones ineditæ*, 15.
(2) Cicero, *pro Archia poeta*, 5.
(3) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 1558.

VI.

Qua ratione collegia scenica certaminibus sacris edendis operam dederint?

In disputatione de re ludicra, sero ad ludos ipsos accedo, ipsorum artificum rationi obsecutus, quorum in monumentis res scenica parvi fuisse videtur præ rerum divinarum cura et rerum civilium ad ipsos pertinentium studio. Utique diligenter quærendum est quomodo scenica collegia muneri suo non defuerint, scilicet qua ratione civitates ludis sacris scenicos adhibuerint, rursusque ipsi ad placandos colendosque deos operam præbuerint.

Civitatibus, in quibus artificum collegia sedem posuerant, Athenis, Thebis, Teo, nunquam ad peragendos ludos scenici deerant. Præterea, cautum fuit Athenis ne quis eorum debita opera civitatem fraudaret et mulcta irrogata, si quis in tempore festorum non adesset. Exemplo est Thessalus tragœdus; is quum Alexandri gratia, sese ad certamina in Phœnicia maximo apparatu edenda contulisset, Dionysia deseruit; propter quod mulctatus ab Atheniensibus regem rogavit ut per litteras ad Athenienses missas eam mulctam deprecaretur; quam contra Alexander ipse solvere maluit (1). At suis non contentæ, eædem civitates externos quoque artifices in ludorum suorum communionem admittebant atque etiam invitabant. Athenis nempe, plerosque tibicines qui in fabulis agendis aut in choris canebant, magistrum aliquando ipsum, peregrinos fuisse probant choragorum dedicationes (2).

(1) Plutarch., *Alexand.*, 29. — (2) Le Bas, *Attique*, 466-474.

Thebis quoque, quamvis in ea urbe collegium scenicorum consedisset, haud dubium est externa etiam collegia ludos adiisse. Quis enim artificibus ex Isthmo et Nemea proxeni Thebani usus, nisi ipsi in eam regionem, ad certamina subeunda, commigrassent (vide p. 27)? Diserte etiam declarant Teii scenici se : « Delphis, Pythiis et Soteriis; Thespiis, Musæis; Thebis, Heracleis ludis adfuisse (1). » Ex quo perspicuum fit urbes eas primum artificum suorum operam sibi vindicasse, deinde externorum quoque auxilia libenter accepisse atque etiam quæsiisse. Tanti momenti videbatur ludos sacros quam splendidissime peragi, quum ad augendam certaminum laudem, tum maxime ad conciliandam civitati per magnificentiam apparatus deorum benevolentiam.

Sed paucæ admodum erant urbes quæ per suos artifices, ludos non dicam perficere, sed vix inchoare possent. Quos quum omitti nefas esset, id plerisque curandum fuit ut scenicos ex aliis regionibus pretio allicerent. Hi vero ea conditione conducebantur ut, si ludis defuisset artifex, pignoris prius accepti duplex mulcta solveretur.

Aristodemus, Atheniensis tragœdus, quum verbis ad Athenienses relatis, populum senatumque et ipsum Demosthenem spe pacis decepisset, invitatus ut legatione apud Macedonum regem fungeretur, excusationem attulit ea quæ cum pluribus civitatibus ad fabulas agendas pactus esset; tum Demosthenes in concione verba fecit ut ad eas civitates legatos populus mitteret qui pro Aristodemo publice mulctas deprecarentur (2).

Magis vero atque magis extra fines veteris Græciæ propagatum fuit rei scenicæ et musicorum certaminum stu-

(1) *Corpus inscr. gr.*, 3067, l. 20.
(2) Æschin., *De male gesta legatione*, 19, et Scholiast.

dium, quum Macedoniæ Cyprique reges et Thessalorum tyranni Græcarum artium splendore nobilitari vellent et latiorem etiam campum artificum industriæ arma Alexandri aperuissent. Nulla non civitas theatrum suum exstrui cupivit, ut paulo infra in insulis Ægæi maris videbimus. In Asia vero, non dico in Ionia, Æolia aut Caria, jamdudum ad eas artes coloniis græcis conversis, sed in Lycia et Pamphylia, effossa theatrorum rudera Alindæ, Pataræ, Xanthi aliisque in urbibus non ita nobilibus. Quid in novis Syriæ Ægyptique regnis quorum domini, Græcæ originis memores, veterem Græciam æquare atque etiam superare magnificentia ludorum et apparatuum sumptibus studuerunt?

E tanta certaminum musicorum frequentia satis apparet quanta scenicorum collegiorum opera esse debuerit. Quis fuerit artificum numerus statuere non licet, sed tantum e paucis documentis conjecturam facere. Alexandri tempore, tria millia artificum in extremos Asiæ fines sese contulerunt (1); Alexandriæ, in una pompa regis Ptolemæi, citharistæ, quorum solorum traditus est numerus, cecinerunt trecenti (2). Hinc æstimes quam multi in uno collegio simul versati sint. Certe scimus, quum Teium collegium Lebedum commigravit, libentissime scenicos a Lebediis acceptos fuisse, lætis quod urbi suæ incolarum infrequentia languenti haud parva fieret accessio (3).

Plurimos in unoquoque collegio omnis generis scenicos fuisse oportuit, qui tam multarum urbium ludis sufficerent. Primum enim in sua, ut ita dicam, provincia, collegium Teium, sive ex arbitrio suo sive e pacto, ad peragenda in civitatibus Dionysia aut alia festa, artifices

(1) Plutarch., *Alexand.*, 72. — (2) Athenæus, V, ch. 34.
(3) Strabo, XIV, I, 29.

mittere consuevit. Præterea, longius etiam peregrinabantur et Græciam ipsam petebant ut ludos maxime insignes adirent et cum aliis collegiis certarent, ut Delphis, Thespiis, Thebis factum fuisse docuit titulus supra laudatus (vide p. 52). Item, artifices ex Isthmo et Nemea, non modo Messenem (1), Sicyona (2) et ceteras Peleponnesi partes invisebant, sed Thebas (3) quoque et ipsam Teum (vide p. 8). Maxime igitur opportuna fuit scenicorum collegiorum institutio, ut in certas civitates confluerent ex omnibus regionibus artifices atque in eis communiter artificio operam darent, in greges comicos tragicosque sociarentur, choros etiam pueriles, viriles et comicos perpetuos docerent, atque ex his scholis per omnem Græcum orbem rem ludicram perferrent.

Qua ratione in iis civitatibus in quibus nullum erat scenicorum corpus, ludis, qui religionis causa instituti, sine piaculo omitti non poterant, operam artifices præbuerint, tituli haud pauca suppeditant, quibus explanatis, etsi non omnia expedientur, summa tamen rerum apparebit.

Aliam apud alios rationem fuisse vix est quod moneam. Corcyrenses, quamvis urbem haud ignobilem et opulentam haberent, nonnisi conductis artificibus, Dionysia sua edere potuerunt. Sed res, maximi momenti populo visa, sumptibus publicis et per magistratus agebatur, secundum peculiarem legem quæ lex agonothetæ dicebatur. Quam impensam civium suorum duo homines quum levare vellent, egregia munificentia centum et viginti minas, quas intactas servari jusserunt donec cumulatæ usuris centum et octoginta minas explerent, urbi et Baccho consecraverunt; quarum e fœnore, altero quoque anno,

(1) Plutarch., *Cleomen.*, 12. — (2) *Corpus inscr. gr.*, 1108.
(3) *Vide titulum* p. 27.

artifices ad Dionysia conducerentur. In pecunia locanda et tuenda, mira diligentia donantium est, ne quid muneris sui pereat vel ad alios usus traducatur; quæ omnia senatus decreto sancita et magistratuum curis administrata. Locatio enim pecuniæ per senatum fieri debet, præconis voce nuntiata, ea conditione ut quoque mense una mina duas drachmas ferat nec credatur nisi tribus viris locupletibus et natu grandibus; a quibus, si non statuto die fœnus solvatur, duplex exigendum sit. Apud senatum quoque pecuniæ in sumptus erogatæ ratio reddenda est ipsi agonothetæ in quem, si quid peccaverit, secundum legem agendum nomophylacibus, *sicut in aliis pecuniis sacris et publicis* (1).

Nec minus quod ad conducendos artifices spectat publice per magistratus procuratur. « Mittito civitas, secundum agonothetæ legem, ad conducendos artifices et Dionysia, ex quo incipient, altero quoque anno peragat, nisi bellum obstet, differentibus senatu et concione. Conducito, e fœnore trium talentorum, quinquaginta minarum Corinthiarum pretio, tres tibicines, tres tragœdos, tres comœdos (id est, tres greges tragicos et comicos)....... Danto quoque artificibus e fœnore victum justum, præter quinquaginta minas (2). » Si propter bellum aut aliam causam ludi peragi non possunt, pecunia cumulari debet; si peccato civitatis non fit usus præscriptus muneris, de pecunia cadit quam sibi donantium hæredes vindicabunt.

Titulum longissimum, 146 versibus exaratum, quam brevissime exposui. Sunt tamen quædam notanda de mercede artificum. Quam si recte computare velis, meminisse oportet quod fuerit tunc temporis pecuniæ fœ-

(1) *Corpus inscr. gr.*, 1845, l. 105.
(2) *Corpus inscr. gr.*, 1845, l. 15-25.

nus. Modicum visum fuit duas drachmas pro mina, id est circiter 25 °/₀ exigere, quum præscribatur ne plus quam duæ petantur (1). Igitur quinquaginta minæ idem valeant quod ætate nostra fere ducentæ. Illud quoque animadvertendum, eamdem semper mercedem, quicunque futuri sint artifices, solvendam; ex quo apparet non tam artificii quam religionis observandæ studiosos fuisse Corcyrenses.

Haud alienam a priori, quanquam non omnino similem rationem exhibet Iasensium res scenica, ad quam pertinentes tabulæ non minus quam novem et quadraginta innotuerunt (2). Illud sane fuit fortunæ ludibrium, quum in maximis atque artium amantissimis civitatibus Athenis, Syracusis, tanta poetarum, actorum, musicorum copia, tanta laude, ubi litteris publicis signata fuerat rerum scenicarum memoria, e tot marmoribus quibus incidebantur victorum nomina, e tot libris quibus ea diligenter repetita scriptores tradiderant, vestigia admodum exigua aut omnino nulla supersint; ex uno contra Cariæ oppidulo, et eo quidem ab antiquis ob ineptiam rei ludicræ irriso (3), theatri rationes per quadraginta et duo annos (188-146) fere integras ad posteros pervenisse. Utcunque est, quum magna illa desiderentur, parva hæc lucrari juvabit et ex eis, licet extenuatam, rei scenicæ effigiem quærere.

In agendis annuis Bacchi festis, Iasenses prius nihil aliud quam pompam, choros civiles et sacrificia ediderunt; id autem sumptibus publicis procuratum, nisi agonothetæ munificentia hoc onere civitatem levasset (4).

(1) Exemplum videas fœnoris quatuor drachmarum pro mina, circiter 50 0/0, in Gythio titulo, Cæsaris ætate. Le Bas et Foucart, *Inscr. du Péloponnèse*, 242 *a*.

(2) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 252-299.

(3) Strabo, XIV, II, 21.

(4) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 253.

Aucta deinde ludicra largitionibus civium atque etiam inquilinorum qui haud pauci Iasi versabantur. Usus paulatim obtinuit ut agonotheta et, numero incerto, choragi cives et inquilini producerent artifices quorum nec numerus nec genus præscriptum, sed varium e voluntate largientium aut artificum copia. Additum aliud genus munificentiæ, scilicet ut saltatoribus qui gratuitam operam choris civilibus præbere debebant, una drachma dono daretur (1), et spectatoribus, quibus solvenda merces erat, theatri gratis adeundi facultas fieret. Quam non, ut Athenis, liturgiam cives subibant, sed sponte sua; etenim, nonnulli bis aut ter sumptus eos de suo faciunt, quod munus, si fuisset impositum, per omnes iret vicissim nec sæpius ad eosdem rediret.

Nihil igitur, nisi sponte sua, largientibus magistratibus aut civibus, necesse fuit in ipso festo declarari quæ in proximum annum promitterentur, ut artifices mandandi tempus superesset. Qui ex externis regionibus acciti per plures dies aut fabulas agebant aut canebant, quum quisque eorum qui hoc munus susceperant per unum aut duos dies spectaculum largiretur. Exempli causa unam tabulam transtuli.

« Stephanephoro Apollinis quarto post Menippum, agonotheta Moschione Antiphontis, illi, prius declarata voluntate, dederunt : Theætetus Melanionis, qui fuit agonotheta, Athenodorum Heraclidæ comœdum, una die; accepit chorus drachmam, spectaculum vero gratuitum fuit. Theætetus Melanionis, qui fuit choragus,.... comœdum una die; accepit chorus drachmam, spectaculum vero gratuitum fuit. » Tres cives et unus inquilinus, qui choragi fuerant, eumdem comœdum, quisque una die, produxerunt.

(1) Sequor interpretationem quam dedit Waddington, p. 87.

« Ex iis qui in meo magistratu voluntatem declaraverunt, dederunt : Pytho Scylacis, qui fuit choragus, Clino Evandri choropsaltriam, binis diebus.......... Apollonius Bionis, qui fuit ex inquilinis choragus, Clino Evandri choropsaltriam, una die (1)..... »

Pauci admodum artifices quotannis urbem adibant, duo, ad summum tres musici aut actores, iidemque a pluribus choragis continenter exhibiti. Octo annorum spatio quinque comœdi, tragœdi tantum duo, quinque tibicines varii generis, unus aulœdus, tres citharistæ, ludis adfuerunt (2). In hac artificum infrequentia, quum unum Athenodorum comœdum, qui Iasum rursus adierat per sex dies sex choragi produxissent, ex tempore, duo choragi per tres dies exhibuerunt in theatro mulierem χοροψαλτρίαν, id est quæ simul levem citharam pulsabat et saltabat, nullo alio adhuc exemplo feminæ ingenuæ in theatro saltantis, quam non collegii scenici participem sed incolam Iasensem, artem privatim meditantem fuisse certum est.

Harum difficultatum quum Iasenses pœniteret, et cuperent Dionysia constantius et splendidius peragi, Teium collegium per antiquam amicitiam rogaverunt ut sibi in ludis perficiendis subveniret. Huic rogationi responsum est, lato decreto, cujus simile nullum alterum habemus; valde dolendum igitur quod primi versus non integri ad nos pervenerint. Ex initio, quæ potui transtuli.

« Sententia collegii scenicorum ex Ionia Hellespontoque et præsidis Bacchi artificum. Quum Iasenses amici et familiares adversus nos optime egerint, maximumque studium et amicitiam verbis et factis erga legatos nostros

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 257.
(2) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, p. 88.

ostenderint, observentque ea quæ sunt decreta ab artificibus respondentibus secundum edicta Romanorum a quibus servati sunt Asiatici artifices, et priori tempore studium et æmulationem habuerint ad certamina....... placuit collegio scenicorum artificum....... mittere duo tibicines, duo tragœdos, duo comœdos, citharœdum, citharistam, ut peragant deo choros secundum patria ipsorum instituta, attribuere vero et eorum operas; eos autem quicunque attributi fuerint, perficere Dionysiorum certamina statis temporibus, in omnibus obsecutos Iasensium legibus. Si quis vero ex iis qui attributi fuerint, non adfuerit Iasi vel certamina non peregerit, solvat collegio scenicorum artificum mille drachmas Antiochicas, sine excusatione, deo consecrandas, nisi valetudinis aut hiemis causa nequiverit. Huic autem sit mulctæ excusatio, causam agenti apud populum (artificum) et manifesta argumenta afferenti atque, latis suffragiis, absoluto secundum legem. .... Legati designati sunt : Plutiades citharœdus, Lysimachus tragœdiarum poeta, Nicostratus synagonista tragicus. Illi attributi fuerunt cum operis : tibicines, Timocles, Phætas; tragœdi, Posidonius, Sosipater; comœdi, Agatharchus, Mœrias; citharœdus, Zenotheus; citharista, Apollonius Samius. — Stephanephoro Apollinis, tertio post Menetem, Tyrtæo, Apaturione mense, sexta die, ratum fuit (1). »

Nemo non animadvertit qui sit scenicorum sermo; quum enim amicitiam Iasensium et diligentiam in observandis collegii decretis collaudant, atque religionis solvendæ studium suum et bonum animum erga veteres amicos et socios declarant, ea prorsus est oratio hominum qui invitati et rogati beneficium concedant et ea præscribant quæ ipsis placuerint, magis quam artificum lo-

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 281.

cum suæ industriæ quærentium. Quippe non hoc est fœdus æquo jure disceptatum, sed decretum scenicorum per legatos ad Iasenses perfertur, sententiis populi san- ciendum; quod brevis mentio ultimi versus ab Iasensibus ratum fuisse docet. Illud etiam notatu dignum, si defuerint artifices, nullum jus adversus eos Iasensibus concedi; mulctam quidem irrogari, sed ab ipso collegio, et eam Baccho, id est ærario collegii, consecrandam. Quum in Corcyræ quoque tabula nulla fiat mentio mulctæ artificibus solvendæ, si conducti pacto non stetissent, profecto patet scenicos et sibi et ceteris majores visos fuisse quam ut illud pœnarum genus subire vellent. Ludi vero omnino Teiorum arbitrio permissi, cauto tamen ut civitatis legibus obtemperarent; ceterum nulla artifices eligendi facultas Iasensibus data, sed ii audiendi quoscunque collegium designavisset.

Ludi tamen, ejus pacti gratia, et diligentius et splendidius peracti sunt. Quum enim prius duo vel tres scenici a choragis conducti producerentur, tunc quotannis duo tibicines choris civilibus afflabant et ipsi canebant; tragici et comici duo greges (primarum enim partium actor solus nominatur), citharœdus et citharista in scenam prodibant, ita ut jam fere nullo musicorum ludorum genere careret civitas.

Hinc quoque in conficiendis scenicis annalibus et in commemorandis largitionibus nova ratio cujus unum exemplum e multis subjiciam.

« Stephanephoro Apollinis post Antigonum Antigoni filium, agonotheta Theodoro Melanionis, filio, ex eis qui prius promiserant in Dionysiis, solverunt : Agonotheta Mnesitheus Athenodori, natura vero, Menedemi filius; choragi, Menedemus Menecratis, Theophilus Anaxippi, Dionysius Menippi, Menotimus Podonis, quisque ducentas drachmas; ex inquilinis, Agathinus Leontis Apamen-

sis, Nicetas Iasonis Hierosolymita, uterque centum drachmas (1). »

Mercedis collegio scenicorum solvendæ nulla fit mentio; nequaquam tamen dubium est gratuitam operam non præberi. Qui enim prius artifices sumptibus suis conducebant, iidem tunc certam pecuniam largiuntur; choragi cives ducentas, inquilini centum drachmas. Unde etiam de mercede conjecturam facere licebit; jam instituta recenti ratione, unus civis et tres inquilini sese consociant ut comœdum per duos dies producant; qui, si pecuniam e more largiti fuissent, quingentas drachmas dedissent. Quas accepit unus comœdus, id est, unus actor primarum cum duobus synagonistis et tibicine.

Quamvis et Iasi et Corcyræ vocabulum ἀγών usurpetur, satis patet nullum omnino in his ludis certamen fuisse, quos artifices unius collegii peragebant, nullis æmulis, nullo præmio victoribus proposito. Ea ratio ludorum in multis civitatibus certe obtinuit, quæ Plutarcho ita frequens visa est ut hoc exemplo utilitatem inimicorum ostenderet. « Equidem scenicos artifices videmus sæpenumero in theatris remisse, nulla alacritate et ne diligentia quidem, certare inter semetipsos; quum autem certamen sit adversus alios, non seipsos modo sed et sua instrumenta magis aptant, fides explorant, accuratiusque concentum instruunt et tibias canunt (2). »

Priori generi ludorum, quorum meminit Plutarchus, apte congruunt tabulæ Soteriorum Delphicorum. Quorum quum vix nomen notum esset, Athenis repertus lapis docuit ludos esse gymnicos et musicos in honorem Jovis Servatoris et Apollinis Pythii ab Ætolis et Atheniensibus institutos, quod adversus barbaros templo Apol-

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 294.
(2) Plutarch., *De utilitate inimicorum*, 3.

linis et Græciæ imminentes prospere pugnassent (1), et nos, eodem anno (1860), circa templi rudera, quatuor tabulas Soteriorum eruimus. Quarum conficiendarum ratio prorsus nova, in ceteris ejusdem generis titulis nondum occurrit. Præscriptis enim, ut fieri solet ad tempus definiendum, archonte Delphico, insuper artificum sacerdote et hieromnemonibus, additur : *illi certaverunt in certamine Soteriorum*, quum in aliis semper scribatur : *illi vicerunt*. Neque enim eorum qui vicerunt fit mentio, neque victores neque victi apparent, sed recensentur nominatim quicunque ludos attigerunt, eodem fere in quatuor tabulis ordine : rhapsodi, citharistæ, citharœdi, tibicines, quamvis aliquando unus sit citharista aut tibicen ; dein choreutæ universi, quum pueri tum viri, numero vario, nonnunquam cum suis magistris et tibicinibus ; postea duo, tres aut quatuor greges tragici et comici qui constare solent ex actoribus primarum, secundarum et tertiarum partium, magistro et tibicine; postremo choreutæ comici. Nullus vero scribitur ἐπινίκιον vicisse, quod in veris certaminibus non deest. In fine etiam, quo magis fit perspicuum neque ullum commissum certamen neque ab ullo relata fuisse præmia, nominantur ii qui vestes locaverunt. Adde quod plures bis aut ter vel quater Soterios ludos adierunt, quorum nonnulli inter se cognatione junguntur. Unde satis constat ea certamina per unum collegium peracta et, in tabulis conficiendis, artifices non victoriæ suæ sed pietatis erga deos testimonium, parietibus templi incidi curavisse, in quo, quum omnes pariter operam ut debita sacra diis solverentur præbuissent, omnium nomina pari jure inscripta fuisse.

Per quod collegium ii ludi peracti fuerint non liquet.

(1) Koumanoudis, *Inscriptiones ineditæ*, 75. *Athenis*, 1860.
(2) Inscriptions inédites de Delphes, 3, 4, 5, 6.

Teios artifices ad Soteria invitatos fuisse docet titulus, sed quo tempore inscriptæ sunt Delphicæ tabulæ (220–190), nondum Delphos adierant, perpauci enim in eorum catalogo Asiatici occurrunt. Quum Athenienses, Bœotos, Argivos Sicyoniosque et Arcades multo plures invenias, verisimile videatur tria Græciæ collegia greges comicos tragicosque ad peragendos ludos misisse. Unum quidem tragicum gregem ex tribus Atheniensibus constantem invenimus, sed ceteros quum comicos tum tragicos minime ad similem rationem referri posse ostendet subjecta tabula.

COMOEDI.

		3	4	5	6
Actores	I	Zacynthius	Cephallenius } 6	Atheniensis	Tegeata
»	II	Zacynthius	Bœotus }	Lacedæmonius	Argivus
»	III	Eleus	Bœotus	Ambraciota	Ambraciota
Magister		—	Bœotus 3	Gargaricus	Ephesius
Tibicen		Bœotus 5	Heracleensis 5	Bœotus	Tegeata
Actores	I	Achæus	Ætolus }	Bœotus	Bœotus
»	II	Heracleensis 6	Atheniensis } 5	Atheniensis	Heracleensis 3
»	III	Bœotus	Argivus }	Epirota	Sicyonius
Magister		Bœotus 4	Atheniensis }	Bœotus	—
Tibicen		Naucratites	Sicyonius	Heracleensis 4	—
Actores	I	Cyrenensis		Ætolus }	Cephallenius
»	II	Atheniensis		Argivus } 4	Bœotus
»	III	Atheniensis		Atheniensis }	Tegeata
Magister		Megarensis		Atheniensis }	—
Tibicen		Bœotus		Bœotus 6	—
Actores	I	Chalcidensis			
»	II	Ambraciota			
»	III	?			
Magister		Bœotus			
Tibicen		Atheniensis			

* Numeri adjecti notant quibus in ludis iterum artifices egerint.

TRAGOEDI

		3	4	5	6
Actores	I	Cassandrensis	Milesius	Cassandrensis	Atheniensis
»	II	Opuntius	Ætolus	Atheniensis	Atheniensis
»	III	Megarensis	Milesius	Megarensis	Atheniensis
Magister		Argivus	Atheniensis	Atheniensis 4	Arcas
Tibicen		Chius	?	Atheniensis 3	Bœotus 5
Actores	I	Istiæus	Tarentinus	Atheniensis	Atheniensis
»	II	Thessalus	Arcas	Acarnan	Ægineta
»	III	Argivus	Trœzenius	Cassandrensis	Achæus
Magister		Bosporita	Atheniensis 5	Corinthius	Bœotus
Tibicen		Atheniensis 5	Arcas	Bœotus 6	Bœotus
Actores	I	Milesius	Sicyonius		
»	II	Ætolus 4	Argivus		
»	III	Milesius	Sicyonius		
Magister		Atheniensis	Arcas		
Tibicen		Sicyonius	Bœotus		

Chori ipsi per artifices ejudem collegii procurati fuerunt, exemplo, nisi fallor, adhuc inaudito. Iasi enim, quanquam ludi per scenicos Teios peragebantur, chorus tamen constitit e civibus, nec in eo quidquam aliud agendum fuit Teiis quam ut saltantibus accinerent. Aliis quoque in civitatibus, quantum e scriptoribus aut monumentis novimus, civilis semper mansit chorus per quem civitas ipsa debitam erga deos pietatem solvere censebatur. In Soteriis vero, non modo non e civibus chorus constabat, sed ne unus quidem Delphus saltavit. Choreutæ pueri e diversis regionibus congregati erant et exemplis demonstravi eos, in collegio scenicorum institutos, versari solere operamque jam a primis annis rei scenicæ prœbere (vide p. 13).

Alterum genus fuit ludorum ad quos aut festorum nobilitas aut præmiorum amplitudo plurimos artifices e diversis collegiis alliciebat. In his vere certabatur et no-

mina sola eorum qui vicerant marmori incidebantur. Quorum certaminum monumenta exstant ante romanam ætatem, illa sunt : Amphiaraia Oropi, Museia Thespiis, Charitesia et Homoloia Orchomeni.

VII.

Quomodo artem ludicram musici, poetæ, actores exercuerint?

Quæsito qua ratione artificum collegia civitatibus ad peragendos ludos operam præberent, altera quæstio oritur : quo modo musicas artes scenici exercuerint, quid litteris, quid theatro attulerit aut abstulerit ea collegiorum institutio. Quod ex ipsis artificum monumentis et ludorum tabulis aliquatenus perspici potest.

Quarum artium certamina commissa fuerint, tertio et secundo ante ætatem nostram sæculo, docent eæ tabulæ quas paulo supra memoravi ; nonnullas ejusdem generis, sed ætate Romanorum inscriptas, in aliam partem distuli.

Præcones et tubicines, qui primum locum in tabulis obtinere solent, collegiis scenicorum non adscribendos puto, neque cujusquam adhuc in ullo monumento mentio reperta est. In Soteriis ludis qui, sine certamine, per unum collegium peragebantur, nullus est præco neque tubicen. Ceterum eorum industriæ potius fuit locus in exercitibus et in concionibus, et probabile est eos in singulis civitatibus ministerio suo fungi solere et inde aliquando ad certamina prodire (1).

(1) Quum præco et tubicen simul nominentur in titulis, leviter emendandus mihi videtur ille locus Senecæ : « Præter ipsum theatrum Neapolitanorum, ut scis, transeundum est, Metronactis petentibus domum. Illud quidem farctum est ; et ingenti studio,

Musici. Primi ex eis inscribi solent rhapsodi, antiquissimum genus ; deinde citharœdi et citharistæ, quorum hi sine voce, illi cum cantu citharam pulsabant. Citharœdi cum fidibus versus plerumque dithyrambicos canebant; Arionem auctor est Herodotus primum dithyrambum composuisse et Corinthi cecinisse (I, 23) ; et multos quoque sua carmina cum cithara edidisse probabile est. Sed aliena quoque in certamine cani potuisse satis demonstrat lapis Teius, in quo discreta fit poetæ et musici mentio : « Sacerdote (scilicet artificum) Demetrio, agonotheta vero et sacerdote [dei Eumenis..... illi vicerunt in certamine] posito in honorem Attali : Dithyrambis, Nicarchus Hermonactis Pergamenus, Proserpina; ad citharam canebat Demetrius..... Phocæensis (1). » Licuit etiam versus antiqui poetæ repetere. Cujus rei satis nobile exemplum tradiderunt scriptores. Quum Philopœmen, occiso Machanida, Nemeorum ludorum tempore rediret, theatrum ingressus est tum quum certamen citharœdi incipiebant. Fortasse Pylades citharœdus Timothei Persas canens inchoavit :

Qui libertatis decus affers nobile Graiis.

Quem versum arripuit totus consessus, ad Philopœmenem, repetitis plausibus, conversus (2). Ex his, constat citharœdi fuisse ad citharam canere suos vel alienos versus, novi aut veteris poetæ, plerumque dithyrambum.

Quanto fuerit honore id opus testatur Cicero : « Summam eruditionem Græci sitam censebant in nervorum vocumque cantibus : igitur et Epaminondas princeps meo judicio Græciæ fidibus præclare cecinisse dicitur,

qui sit pythaules bonus judicatur ; habet *tubicen* (male *tibicen*) quoque græcus et præco concursum. » Epistola, 86, 3.

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure,* 93.

(2) Plutarch., *Philopœm.,* 11 ; Pausan., VIII, L, 3.

Themistoclesque aliquot ante annos, quum in epulis recusaret lyram, est habitus indoctior (1). » Eadem artis æstimatione, Meneclem quemdam Teium legatione functum laudaverunt Cnossii « quod haud semel ad citharam versus Timothei et Polyidi necnon nostrorum antiquorum vatum, bene et ut decebat virum eruditum, in publico cecinisset (2) ». Actæ etiam Teiis gratiæ qui talem virum misissent. Quem Meneclem si Teio collegio assignare non liceat, non alienum certe a scenicorum artibus et eorum commercio ad ea studia formatum fuisse conjicias.

Id artificii genus quanto ceteris præstiterit, docet ille Ciceronis locus : « Ut aiunt in Græcis artificibus eos aulœdos esse, qui citharœdi fieri non potuerint (3). » Cum quo maxime congruit fragmentum Attici tituli, ubi inscribuntur præmia musicis proposita. Ille est enim certaminum ordo : citharœdi, aulœdi, citharistæ, tibicines. Præterea citharœdis quinque sunt præmia et eorum primo corona aurea mille drachmarum, ultimo etiam trecentæ ; aulœdis vero duo tantum, priori trecentæ aut quadringentæ drachmæ ; citharistis tria, primo quingentæ (4).

Aulœdi ad tibiam canebant. Hoc genus in Pythiis displicuisse et sublatum fuisse auctor est Pausanias, quoniam tibiæ tristissima sonabant et adspirante tibia canebantur mœsta carmina, elegi atque threni (X, 7). Nullus in Soteriis Delphicis aulœdus, nullus in Amphiaraiis Oropi ; certamina tamen aulœdorum retenta Athenis (5), Thespiis (6), Orchomeni (7), unus bis Iasi

(1) Tusculan. Disput., I, 2.
(2) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 81 ; cf. 82.
(3) Pro Muræna, 13.— (4) Rangabé, *Antiq. hellén.*, 961.
(5) Rangabé, *Antiq. hellén.*, 961.
(6) Decharme, *Inscriptions inédites de Béotie*, 26, l. 21.
(7) Le Bas, 3e *partie*, 621-623.

cecinit (1). Auletarum, id est, eorum qui nude tibiam inflabant multa et varia genera : cyclicus tibicen aut choraules, pythaules, quibus solis proposita erant certa præmia ; alii actoribus tragicis, comicis et satyricis, chorisve puerilibus et virilibus accinebant.

Poetæ. Nunc ad poetas venio, quorum studia florere vidit etiam hæc ætas, ut e certaminibus ludorum comperimus.

Poeta epicus (2), aliquando nude dictus poeta (3), quasi ille potissimum eo nomine dignus esset, qui Homeri vestigiis insisteret. Hoc in certamine poemata heroica aut eorum particulæ proferri solita et recitari ab ipso vate. Aliud genus est eorum qui certant laudatione epica ; nempe in Amphiaraiis Oropi carmini epico et laudationi epicæ diversa præmia proponuntur (4). Ea laudatio quæ sit ostendit nuper repertus in Eubœa titulus, in quo primum locum obtinet *laudatio in Apollinem* (5) ; ita ea laudatio componitur in honorem dei cui ludi aguntur. Melius igitur laudationes, mea quidem sententia, dicerentur Homeridarum carmina quæ vulgo exordia et hymni appellantur. Utrique poetarum generi id commune fuit quod poemata versibus hexametris concepta proferebant.

Poetæ προσοδίων in duobus titulis occurrunt (6). Quæ fuit species quædam hymni ad tibiam cani solita, quum templis aut aris accedebant (7).

Dithyrambicis poetis, qui quondam tanto honore Athe-

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 254 et 256.
(2) Decharme, 26, l. 15. — Keil, *Zur Sylloge Inscr. bœt.*, 21. — Le Bas, 3e *partie*, 622.
(3) Le Bas, 3e *partie*, 621, 623.
(4) Rangabé, *Antiq. hellén.*, 965, l. 9 et 13.
(5) Ephemeris Archæologica, *nov. ser.*, 412.
(6) Decharme, l. 9. — *Inscr. inéd. de Delphes*, V, l. 13.
(7) Etym. Magnum. — Photius, *Biblioth.*, p. 319.

nis fuerant ut suum quæque tribus dithyrambicum poetam aleret, multo minor ea ætate locus fuit. Uno in certamine, in honorem Attali instituto, dithyrambicus poeta nominatur. Ex hoc tamen aliquid lucramur; nempe carmen victoris *Proserpinam* inscriptum fuisse et versus ejus generis ad citharam cani (1). Prosodicus et dithyrambicus lyricis vatibus inserendi sunt.

Dramaticæ poeseos longe major fuit honos; nam in plerisque ludis proponuntur præmia fabulis tragicis, comicis, satyricis. Ita, si non arte et præclaris operibus, copia saltem fabularum floruit hæc ætas. Tetralogiis, ut antiquitus, nequaquam certatum puto; quum in titulo Oropio poeta tragœdiæ, non tragœdiarum inscribatur, probabile est unam modo fabulam proferri solitam (2). De dramate satyrico, satis constat jam a tragœdiis sejunctum fuisse, quum non semel occurrat mentio poetarum satyricorum cum propriis actoribus. Exempli causa titulum Teium proferam : « Satyris, Anaxion Thrasyclidis Mitylenæus; dramate, Persis; agebat Asclepiades Heracliti Chalcidensis (3). » Quum Attali temporibus nullum jam superesset Persarum regnum, debuit satyricus poeta id argumentum e rebus veterum Persarum sumere, aut e recenti regno Parthorum quos Persas plerumque a Græcis scriptoribus dictos fuisse scimus.

Haud inutile arbitror e victorum catalogis ostendere quam late patuerit his temporibus carminum studium et poetica facultas. In epica poesi vicerunt tres Bœoti (4),

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure,* 93.

(2) Rangabé, *Antiq. hellén.*, 961, l. 28.

(3) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure,* 91 ; cf. 92, 93. — Le Bas, 3ᵉ *partie*, 622 ; cf. 584. — Decharme, *Inscriptions de la Béotie*, 26, l. 27. — Rangabé, *Antiq. hellén.*, 961, l. 21.

(4) Rangabé, l. 10. — Le Bas, 3ᵉ *partie*, 622. — Keil, *Zur Sylloge inscr. bœt.*, 22. Aminias Democlis filius Thebanus in Chari-

unus Eretriensis (1), unus Phocæensis (2) in duobus certaminibus victor, duo etiam e regionibus maxime diversis, quorum unus Syrius ex Antiochia (3), alter Neapolitanus (4).

In lyrica, unus Atheniensis palmam retulit (5); in Soteriis, tres certavisse, non vicisse dicuntur, quorum unus Corinthius, duo Sicyonii (6). Unus dithyrambicus Pergamenus fuit (7).

Nova tragœdia vicit Sophocles, Sophoclis Atheniensis, præclari vatis, e gente ortus; alter, in Amphiaraiis victor, Milesius fuit (8); comœdiarum scriptores, duo Athenienses (9); satyrici poetæ, duo Athenienses (10), unus Thebanus (11), unus Mitylenæus (12).

Non omnes poetas collegiis adscriptos fuisse verisimillimum, plures tamen eorum participes fuisse certum est; poeta tragicus Teii collegii legatione fungitur, item, duo ex Attico collegio tragici; necnon Alexandriæ Philiscum, tragœdiarum scriptorem, sacerdotio artificum functum fuisse vidimus (vide p. 20).

tesiis Orchomeni, poemate epico et dramate satyrico duplicem coronam adeptus est (Le Bas, 622); ejusdem filius, Democles Aminiæ in Amphiaraiis Oropi, vicit laudatione epica (Rangabé, *Antiq. hellén.*, 961, l. 10).

(1) Ephemeris archæologica, *nov. ser.*, 412.

(2) Le Bas, 3e *partie*, 621. — Decharme, *Inscriptions de la Béotie*, 26, l. 16.

(3) Le Bas, 3e *partie*, 623.

(4) Rangabé, *Antiq. hellén.*, 961, l. 14.

(5) Decharme, *Inscriptions de la Béotie*, 26, l. 10.

(6) *Inscriptions inédites de Delphes*, V, l. 13-16.

(7) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 93.

(8) Rangabé, *Antiq. hellén.*, 965, l. 28.

(9) *Ibidem*, l. 30. — Le Bas, 3e *partie*, 622.

(10) Decharme, 26, l. 28. — Rangabé, 965, l. 12.

(11) Le Bas, 622.

(12) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 91.

Actores. Dramaticam poesim maxime placuisse indicio est certaminum numerus et actorum copia. Hi fuerunt trium generum : satyrici, tragici et comici.

Satyrorum actores a comœdis et tragœdis distinctos in pluribus titulis invenias. Ornatus quoque certis discriminibus a comœdis differunt; cujus haud pauca exempla e vasis pictis sumpta collegit et diligenter illustravit Wieseler (1). Maxime memorabilis est pictura quædam in qua videas totum satyricum gregem, jamjam fabulam acturum et ornatus induentem. Omitto Bacchum in lecto cum Ariadne recumbentem et Musam cui Himeros devolans coronam affert, quæ nescio an sint relatæ victoriæ testimonia. Stant tres actores jam parati, quorum unus Herculem, alter Silenum, tertius nescio quem heroa reddit; tum decem juvenum chorus, qui jam accincti cingulo satyrico et varie saltantes aut sedentes manu personam satyricam gerunt. His accinere parant tibicen et citharista; sedet didascalus manu sinistra volumen retinens. Quum plerisque nomina adscripta sint, jam intelligas eam picturam non ex arbitrio compositam, sed veram effigiem unius gregis satyrici, fortasse ad servandam victoriæ memoriam, expressam fuisse. Quum ex hac pictura, tum e ceteris videre est in satyris diligentissime retineri solita priscæ originis indicia, nempe cingulum coriaceum cum ithyphallo et cauda caprina atque personas vultus Satyrorum referentes.

In tabulis certaminum sæpius victori poetæ novæ comœdiæ aut tragœdiæ adscribitur actor primarum, quod in didascaliis atticis recentioribus semper factum est. Qui sit omnino qui vocatur *actor novæ comœdiæ, actor novæ tragœdiæ*, cum illa altera quæstione conjunctum est, de

(1) Theatersgebæude. — Monumenti scenici, *Annal. Instit. arch.*, 1853, p. 33; 1871, p. 97.

qua motæ sunt multæ disputationes. Occurrunt enim in iisdem tabulis tragœdi quoque et comœdi. Quos quum Bœckhius animadvertisset non appellari actores, neque poetarum nomina referri, eam novam interpretandi rationem excogitavit « non illos esse histriones sed cantores lyricos; eumdem esse poetam et musicum; suos versus cecinisse tragœdos et comœdos, ut elegos suos cecinerunt veteres aulœdi, nomos suos citharœdicos citharœdi. Liquet καινήν non esse novam veteri oppositam, sed genus aliud illi antiquo generi oppositum. Quod quum sit dramaticum, vetus illud necessario est lyricum judicandum ». Quam sententiam pertinacissime pluribus locis defendit. Hinc inauditum illis temporibus genus carminum, comœdias et tragœdias lyricas finxit et multos ejus generis poetarum numero inseruit (1).

Quæ quum mihi parum probarentur, adversus viri doctissimi auctoritatem argumenta quæsieram, quæ suppeditabant tituli. Mirum enim videbatur Iasi tantum placuisse id genus lyricæ comœdiæ et tragœdiæ ut quotannis duo tragœdos, duo comœdos audire vellent, nullum autem tragœdiæ et comœdiæ dramaticæ actorem. Multo magis etiam displicebat Bœckhii opinio, quum in Soteriorum tabulis decem greges tragœdorum, decem comœdorum, cum didascalo suo, cujus nullus fuisset usus, si sua carmina cecinissent, descripsissem. Tandem, quum Bœckhii rationes perpendenti, tum opponenda testimonia ordinanti certissimum argumentum attulit titulus Thespiensis, annô 1868, publici juris factus. Nempe in catalogo Orchomenio invenimus : epinicia vicit *comœdus* Evarchus Herodoti Coronensis (2). In illo autem Thespiensi : *actor veteris comœdiæ* Evarchus Herodoti Coro-

(1) *Corpus inscr. gr.*, t. I, p. 763 et 766.
(2) *Corpus inscr. gr.*, 1583, l. 25-26.

nensis (1). Quo exemplo dubium omne tollitur. Nempe idem est actor veteris comœdiæ et comœdus; idem actor veteris tragœdiæ et tragœdus. Hinc quoque apparet novas appellari fabulas quæ nunquam, veteres, quæ jam prius actæ sint; nec minus perspicuum tragœdos comœdosque actorum, non poetarum numero adscribendos esse.

De distributione partium inter actores multum quoque et acriter a recentioribus disputatum est, quum hinc scriptores antiqui tres omnino fuisse tradiderint, illinc nonnullæ fabulæ a tribus peragi non potuisse videantur. Quum vero actores non vestium modo sed etiam cantus (neque enim recitari sed aliquatenus cani tragœdias solitas fuisse notum est) certo discrimine differrent, novam interpretationem attulit vir ingeniosus et speciosis argumentis confirmavit. Nempe evincere conatus est primas, secundas, tertias partes non ad personam quam tuebatur artifex, sed ad cantus modum quo utebatur, referendas esse, ita ut in una fabula plures primarum, secundarum aut tertiarum partium actores esse possent (2). Huic opinioni repugnant Delphicæ tabulæ in quibus viginti greges tragici et comici inscribuntur, et ii constanter e tribus actoribus compositi. In uno comico sex quidem nominantur, sed in eo facile aliquid perturbatum fuisse aut potius omissum agnoscas (3). Nempe, qui quartus inscribitur, is in prioribus ludis primas partes; qui quintus, is cum priori secundas egit; præterea in fine omissa est mentio magistri et tibicinis. Ex quo fit manifestum inter tertium et quartum excidisse magistrum et tibicinem, nec unum sed duos greges fuisse. His exemplis adductus, ad ea quæ tradiderunt antiqui revertar, scilicet tres tan-

(1) Decharme, *Inscriptions de la Béotie*, 26, l. 31-32.

(2) Édélestand Du Méril, *Histoire de la comédie ancienne*, t. I, *append.* 7.

(3) Inscriptions inédites de Delphes, V, 55-71.

tummodo actores fabulam egisse. Quum vero hi aliquando non videantur ferendis omnibus personis numero pares, illud conjiciam, fieri potuisse ut qui primas, secundas, tertias partes sustinerent, ii soli actorum nomine digni haberentur; ceteri, etiamsi in scenam prodirent et verba facerent, inter operas non inter actores numerarentur (1).

Antiquas tragœdias repeti et actitari solitas fuisse et hæc et alia testimonia satis demonstrant. Ceterum, quanto honore fuerit tragœdia, illud declarat quod e septem legatis quos ad Amphictionum consilium misit Atticum collegium, quinque sint hypodidascali tragici. Aliud etiam afferam. Quum in insulis usus invaluisset ut decreti a populo honores in Dionysiis publice nuntiarentur, et addatur quo in certamine fieri debeat ea proclamatio, comperimus Æginæ, Salamine, Teni, Pari, Syri, Astypalææ, Amorgi, Carthææ, tragœdorum annua certamina commissa fuisse (2). Quarum civitatum nomina forte tantum prodita sunt; unde probabile videtur et in ceteris insulis tragœdias actitari solitas, etiamsi nullus adhuc lapis ejusmodi certaminis mentionem fecerit.

In comœdorum certaminibus fabulas Menandri, Philemonis et ceterorum quibus effloruit Atticum theatrum, sæpissime repetitas esse minime dubium est. De prisca comœdia aliquam suspicionem moverunt Delphicæ tabulæ. Nempe chorus comicus e septem saltatoribus semper compositus in quatuor catalogis inscribitur. Quem forsan comicam saltationem, ut cordacem aut sicinnin,

(1) Apud priores παραχορήγημα dicebatur, si quis choragus præter solitos tres actores aut præter constitutum choreutarum numerum, alios extra ordinem præberet atque ornaret (vide Thesaurum græcum, in verbo).

(2) Le Bas, 4e *partie*, 1688, 1638, 1858, 3097, 1885. — *Corpus inscr. gr.*, 2484, 2263 *c*, 2354.

exhibuisse aliquis suo jure conjiciat. Sed notandum est inter choreutas comicos et comœdos et maxime didascalos multa communia fuisse. Cephisodorus Calliæ, Bœotus, didascalus comicus (III, 57, IV, 63), choreuta comicus (VI, 76). Thyrsus Critonis, choreuta comicus (IV, 75), didascalus comicus (VI, 64). Unus ex choreutis (V, 75), filius est comœdi (IV, 61); alter frater est didascali comici (III, 57).

Hæc indicia, quamvis tenuia, animum meum inducunt ut conjiciam chorum comicum fabulas comicas egisse. Quum vero, in comœdia prisca tantummodo adhibitus fuerit, hinc putandum est, etiam secundo ante ætatem nostram sæculo, fabulas Aristophanis, Cratini et ceterorum repetitas fuisse. Sed affirmare nimiæ sit temeritatis. Non omittendum est tamen in vasis sæpius picturas ex antiqua comœdia sumptas effingi; cujus actores, ex habitus specie, præcipue corpusculi et chitonis forma, certissime agnosci demonstravit Wieseler (1).

Quum veteres fabulæ sæpius repeterentur quam novæ producerentur, quæ cura prius ipsorum poetarum fuerat, ea magistris comicis tragicisque mandabatur ut actores docerent. Qui, in Delphicis tabulis, ambitioso nomine, didascali dicuntur, quamvis ea designatio plerumque poetis suas fabulas ipsis docentibus reservetur. Modestius in collegio Attico, iidem hypodidascali vocantur, memoria, credo, et reverentia tantorum poetarum qui eodem munere fungentes didascali dicti fuerant; quorum mortuorum se non vicarios sed ministros profitebantur.

Si quærimus quis fuerit, institutis scenicorum artificum collegiis, artium musicarum status, patet etiam hac ætate ea studia viguisse. Frequentia enim ludorum et

(1) Wieseler, *Theatersgebœude*. — *Monumenti scenici*, Annal. Instit. arch., 1853, p. 33 et sq.; 1871, p. 97 et sq.

gloria certaminum datus locus est novis ingeniis, nec defuerunt qui epos, qui lyricam et dramaticam poesim augere tentarent.

In eo vero præcipua laus scenicorum collegiorum, quod pulcherrima veterum poetarum opera agresti vel barbaro orbi intulerunt; hinc enim in Armenia Tigranes plurimos artifices congregavit et apud Parthos tragœdus græcus Bacchas Euripidis egit (1); illinc apud Jubam Mauretaniæ regem, scenici græci bene accepti fuerunt (2); nec ulla civitas ad spectandas priscorum vatum fabulas artificibus caruit. Pauca ediderint posteris tradenda, certe æqualibus suis multum profuerunt cum quibus tot egregia opera, quæ audiendi perpaucis prius copia data fuerat, communicaverunt. Videtur igitur hoc lumen musicarum artium quod in veteri Græcia et maxime Athenis, tanta claritate splendebat, non exstinctum fuisse, sed per totum fere orbem diffusum, quo latius, eo minus vivide effulsisse.

VIII.

Quantum bonis moribus et Græcorum libertati artifices scenici nocuerint?

De moribus scenicorum græcorum, notum est illud Aristotelis problema : « Quibus causis scenici artifices plerumque pravi esse solent? Nonne quod studii sapientiæ minime participes sunt, consumpta in necessaria artificii meditatione vitæ maxima parte, et quod plerum-

(1) Plutarch., *Lucullus*, 29. — *Crassus*, 33.

(2) Athenæus, VIII, p. 443.— Ipse Juba aut ejus nepos Μουσικὴν ἱστορίαν perscripsit.

que nunc in intemperantia, nunc in egestate degunt? Ex utroque enim pravitas oritur (1). »

Alias causas jam antea Plato et altius perspexerat et subtilius expresserat. Primum inanem hominum fastum atque intolerabilem jactantiam, cum summa rerum inscitia conjunctam in Ione Ephesio effinxit, in quo non magis rhapsodum ipsum quam totum scenicorum genus a se perstringi admonuit. Deinde ostendit quam demissa sit et humilis reipsa, etiamsi specie et habitu splendida, eorum conditio qui toti e plausu aut sibilis audientium pendeant, qui motus animi ad placendum, non gloriæ solum, sed lucri quoque causa, componant.

Maxime vero probavit, perpetua aliena imitandi consuetudine, vitia imprimi aut allini. Quod jam, in novitate rei scenicæ, notaverat Solo, vir mitis alioquin sapientiæ neque a voluptatibus abhorrentis.

Hanc disputationem, quam de integro, acerrimis utrinque studiis, recentiores moverunt, attingere hoc loco non libet. Quanquam enim multa et subtiliter et vehementer acta sunt, pleraque tamen ab ipso artificio aliena afferuntur, quibus res ipsa impediri et obscurari mihi videtur. In scenicis autem græcis magis nuda perspicitur, et planius apparet pravitatem plerumque ex ipso artificio necessitate quadam oriri. Neque enim, præjudicio, religionis causa, sententia de græcis artificibus ferri potuit, quos contra sacros homines esse et pio deorum ministerio fungi Græcia universa existimavit. Nec rursus notam illam excusationem afferre licuit, scilicet ceterorum contemptu scenicos in suimet contemptum præcipites agi, quum id artificium nulli apud Græcos neque pudori neque dedecori unquam fuisse viderimus, imo,

(1) Aristot., *Problem.*, XXX, 10. Qui locus exscriptus legitur et apud Gellium (XX, 4).

propter ipsum artificium et publicis studiis et honoribus auctos, atque a civitatibus et regibus homines privilegiis ornatos fuisse demonstratum fuerit.

In ea igitur causa, de qua minime dubitaverunt antiqui scriptores græci, standum est Aristotelis judicio, minime rei scenicæ adversi. Cujus tamen prudentiam imitari decet et plerosque, non universos, scenico artificio depravatos fuisse putandum, ita ut, et in hoc genere, aliquis bonis hominibus superesse possit locus.

Illud vero proprium crimen scenicis artificibus græcis exprobrandum videtur quod promptissime adversus patriæ libertatem regum partes amplexi sunt, et in hoc proventu proditorum quibus oppressa periit, auxilium nequaquam inutile Macedonum regi attulerunt. Quod non casu aliquo vel Philippi solum artibus accidisse, sed potius ex artificum ingenio et conditione ortum esse existimo.

His enim hominibus fastu inani elatis et largitionum appetentibus civilis æqualitas gravis semper visa est, et quæsitus qui blandiretur et largiretur. Jam, in Atheniensium republica, Alcibiadis gratiam, opibus et spe supra civilem modum crescentis, appetiverunt artifices, cujus auxilio adversus leges uterentur. Hegemo scenicus quidam, quum ipsi dies dicta esset, congregatis scenicis artificibus ad Alcibiadem confugit; is vero, gratiæ ostentandæ causa et legibus contemptis ferox, ipse in Metroo, ubi actiones inscribebantur, magistratibus indignantibus et tacentibus, accusationem delevit (1). Hunc igitur ducem et jam pæne tyrannum artifices circumspectare; hunc exsilio reducem studiis fovere. In navi qua vectus Piræum ingressus est, Chrysogonus pythionica remigibus nauticos modos præcinebat; Callippides tragœdus, eodem

(1) Athenæus, IX, p. 407.

quo in ludis ornatu, remigum erat hortator (1). Nec minora scenicorum et poetarum studia erga Lysandrum; Aristonous etiam citharœdus, sexies Pythiis victor, pollicitus est, si rursus vicisset, se ejus esse pronuntiaturum (2). Improspere quidem tunc ille exceptus, sed alii blanditiarum pretium tulerunt.

Qua opportunitate mire usus est Philippus, et pro ingenio et pro ratione, scenicosque, voluptatum et dominationis instrumenta, sibi devinxit. Fœdum sane et deforme spectaculum exhibuit concursus ille græcorum artificum ad eos ludos quos, propter eversam Olynthum, Philippus e spoliis Græcæ civitatis celebravit. « Capta enim Olyntho, Philippus Olympia fecit, ad hoc vero festum et celebritatem omnes artifices congregavit, illos pascens et victores coronans (3). » Ita, quum non Athenienses solum sed universi etiam Græci dirutam funditus nobilem civitatem, raptas in servitutem ingenuas mulieres, ingenuos pueros indignarentur, et commune hoc vulnus totius Græciæ æstimarent, scenici a communi calamitatis sensu ita abalienaverunt animos ut circum victorem frequentissimi confluerent, spoliaque miseræ civitatis et captivos largienti blandirentur. Additæ conviviorum illecebræ quibus maxime deditum hoc genus Aristoteles animadvertit, divisaque inter potandum amplissima munera quorum avidissimi. In quibus, paucissimi Satyri comœdi magnanimitatem æmulati sunt (4);

(1) Duris Samius apud Plutarchum, *Alcib.*, 22; Athen., XII, p. 535.

(2) Plutarch., *Lysand.*, 18.

(3) Demosth., *De male gesta legatione*, 192-3; cf. Diodorus, XVI, 55.

(4) Demosth., *Ibid.* — Quam ut augeret, addidit scholiastes « quanquam hoc genus maxime sit proclive ad petendum et ad accipiendum. » Schol. Demosth., p. 371.

plerique vero regiæ pecuniæ et prædæ e Græca civitate partæ contagione infecti, Philippi consilia omni ope adjuverunt.

Ceterum, ne hoc crimen adversus scenicos illatum vagetur, sed certis factis et temporibus constet, res ipsas repetam ex quibus perspicuum fit quam utilem regi Macedonum, quam pestiferam Græcorum libertati operam attulerint. In hac contentione nemo neget inter captam Olynthum (348) et finem sacri belli unum fuisse momentum quo Macedonum regi, metuendo quidem et in dies crescenti, nondum tamen ita firmatis opibus ut vi aperta potius quam dolo grassari posset, Athenienses utiliter adversari potuissent. Sed distractis civium sententiis, alii, et ii quidem populo graves cujus otium turbabant, Philippi consilia haud dubie in perniciem civitatis eruptura et ipsi videbant et Atheniensibus ostendere conabantur; alii contra decepti aut proditores, pacem cum Philippo tentari posse censebant et omni ope ad conciliandam regi Atheniensium voluntatem enitebantur. Inter utrosque fluctuabat populus, quum hinc eversam Olynthum indignaretur et legatos ad Græcas civitates adversus regem consociandas mitteret, illinc interruptæ quietis rursus appetens et belli incommoda reformidans, pacem suadentes libentius audiret.

In hoc rerum articulo, quis dubitet eos qui Philippo credendi et tentandæ pacis auctores fuerint, vere Atheniensium libertatem evertisse? Hos autem haud ambigue designat Demosthenes : « Legatos de pace ad Philippum mittendos esse vobis persuaserunt Aristodemus, Neoptolemus et Ctesiphon et ceteri nihil sani e Macedonia nuntiantes (1). » Idem, sub finem orationis : « Volo autem vobis summatim percurrere quibus artibus vos Philippus,

(1) *De male gesta legatione,* 12; cf. 94.

adscitis istis nefariis adjutoribus, circumvenerit. Omnino est autem operæ pretium perpendere et spectare fraudem universam. Ab initio, quum pacem expeteret, latronibus ejus regnum diripientibus et clausis mercatibus, ut nullis omnino suis bonis frui posset, misit huc illos qui humana ipsius verba renuntiarent, Neoptolemum, Aristodemum, Ctesiphontem (1). »

Quis fuerit ille Ctesiphon, non satis constat. Qui si idem est qui de corona Demostheni tribuenda decretum proposuit, probabile est eum in referendis Philippi verbis errasse potius quam peccasse. Aristodemus contra et Neoptolemus, ambo tragœdi, ob peritiam artis sæpius etiam commemorati, quibus propter artificium etiam ad hostes, nullo periculo, ire licuit, profecti in Macedoniam artem suam ostentaverunt; uterque a Philippo benigne exceptus et pecuniis auctus mandata regis Athenas retulerat, scilicet Philippum reipublicæ amicum esse, unde factum est decretum populi ut ad eum legati de pace mitterentur (2). In quo utrum ipsi decepti fuerint an pecunia regia corrupti, non e conjectura, sed ex utriusque ratione licebit statuere.

De Neoptolemo Demosthenes plura etiam retulit. « Quum perspexissem Neoptolemum artificem per speciem artis securitatem nactum, reipublicæ vero maxime perniciosa molientem, resque vestras ad utilitatem Philippi administrantem et fere fingentem, prodii et vobis exposui, nullis privatis inimicitiis, nullo calumniandi studio impulsus, quemadmodum ex iis quæ secuta sunt, factum est perspicuum. Atque in his non jam Neoptolemi defensores accusabo (nam ne unus quidem fuit), sed vos ipsos. Si enim in Bacchi templo tragœdos spectassetis, non de reipublicæ communibus rebus et salute

(1) *De male gesta legatione*, 315. — (2) *Ibidem*, procemium.

quæstio fuisset, nequaquam vel eum tam secundis auribus vel me tam adversis audivissetis. Atqui hoc saltem vos nunc universos sensisse arbitror eum tum prædicare se ad hostes proficisci ut, coacto ære alieno quod sibi illic deberi dicebat, huc reversus publica munera subiret, et illa oratione plurimum usum esse « quam indignum esset eos accusari qui opes quas illic haberent huc transferrent » ; quum vero pace facta impune licuit, quæ bona manifesta hic possedit, ea vendidisse redactaque pecunia ad illum abiisse (1). »

Demosthenis accusationi fidem fecit ipse Neoptolemus qui jam in Macedonia tanquam in patria versatus est, ita amicitiæ regiæ adscitus ut in ultimo Philippi convivio assederit et eos versus cecinerit quos, in perniciem regis Persarum ab omnibus acceptos, in ipsum Philippum fortuna convertit (2).

Nec minus Aristodemus prædicavit et in curia et in concione Philippi bonam voluntatem erga Athenienses ; adjecit etiam regem cum republica societatem jungere velle. Auctor est Æschines Demosthenem coronæ huic decernendæ auctorem fuisse ; eumdem vehementer contendisse apud populum ut Aristodemus in legatorum numerum cooptaretur (3). In quo tam parum vidisse Demosthenem non verisimile videtur, qui Neoptolemo eadem regis mandata promissaque afferenti tanta ope adversatus sit. Si tamen fides Æschini habenda est, crediderim Demosthenem spem forsan habuisse Aristodemum honoribus decretis ad meliora revocandi, aut quum populum ad belli labores segniorem nihil graviter acturum sentiret, pacem experiri voluisse et Philippum suis ipsum dolis irretire quum, icto fœdere, jam ab Atheniensium sociis Macedonibus abstinendum foret. Spem

(1) *De pace*, 6. — (2) Diodorus, XVI, 92.
(3) Æschin., *De male gesta legatione*, 15-16.

ejus fefellit quum legatorum mora, tum ipsius regis diligentia, qua prius Phocenses perierunt quam de illorum periculo manifestior fides exsisteret.

Certe Aristodemus unus fuit e decem publice ad Philippum missis ; in qua legatione, cum Æschine qui ipsius tritagonista fuerat (1), communicavisse consilia et regi consuluisse verisimillimum est. Cujus etiam proditionem, multis post annis, Demosthenes, in oratione pro Corona, commemoravit : « Qui primus locutus est et mentionem de pace fecit, Aristodemus est artifex ; qui vero successit et rogavit et cum illo suam operam in eam rem locavit, Philocrates fuit Hagnusius (2). » In fine quartæ Philippicæ, idem in quemdam Aristodemum aut Aristomedem (variant enim codicum lectiones) Philippi defensorem acerbe invehitur ; sed utrum de tragœdo agatur necne incertum.

Jam Macedoniam multi artifices tanquam alteram patriam incolebant, ludorum magnificentia et munerum amplitudine allecti, patronum nacti munificum et comem, ipsorum fastui et avaritiæ maxime opportunum ; illum Græcis bellum inferentem prosequi ; illius compotationibus et comissationibus soliti adesse (3), atque etiam ipsius familiæ jurgiis et dissensionibus misceri (4).

Alexander paternum studium erga scenicos non modo imitatus est, sed in bellis quoque et in ipso victoriarum cursu retinuit ; majoris etiam liberalitatis exempla exhibuit, ipse et artium græcarum amantissimus et a primis annis artificum commercio assuetus, quorum unum, tra-

(1) Demosth., *De male gesta legatione*, 246.

(2) Demosth., *Pro Corona*, 21.

(3) Theopompus, fr. 262. Dimissis Atheniensibus legatis, « vocari tibicinas mulieres jussit et Aristonicum citharœdum et Dorionem tibicinem et ceteros qui cum ipso compotare consueverant. Circumducebat enim quocumque tales homines Philippus. »

(4) Plutarch., *Alexand.*, 10.

gœdum Thessalum, etiam domesticis simultatibus miscuerat. Hic, jam a primordio regni, magnificentia adhuc inusitata, scenicorum studia in se convertit. Eversis enim Thebis, summus imperator a Græcis creatus « magnifica diis sacrificia et scenicos Jovi Musisque ludos ab Archelao ipsius antecessore institutos, Dii in Macedonia peregit. Duravit hujus festi celebritas ad novem dies, ita ut Musæ cujusque nomini dies unus dicaretur » (1). Certamina musica, sumptibus ad hunc diem inauditis, incredibili ipsius sociorumque et Cypri regulorum studio, primum post domitam Ægyptum in Phœnicen reversus, edidit (2). Hanc magnificentiam ipse, occiso Dario, superavit in suis et amicorum nuptiis, quas Susis edidit. De quibus testimonium reliquit Chares Mitylenæus, unus e regiis comitibus sociisque. Qui, commemoratis nominatim omnis generis clarissimis artificibus qui his festis interfuerunt, addidit : « Jam inde qui prius Dionysi vocabantur, Alexandri adulatores dicti sunt, propter munerum incredibilem modum » (3). Tanta liberalitate totum scenicorum genus e Græcia commovit et in ultimos Asiæ fines ita rapuit ut Plutarchus Arrianusque non minus quam tria millia convenisse affirment (4).

Ceterum, ut Alexander insigni græcarum artium et litterarum amore enituit, ita in artifices scenicos nimiam facilitatem ostendit. Neque enim eorum modo aviditatem explevit, ut qui Lyconi Scarphensi comœdo fabulæ versum inserenti quo decem talenta peteret, ridens dederit (5) ; sed etiam id genus hominum conviviis et amicitiæ suæ inseruit, temulentus chororum certaminibus præ-

(1) Diodorus, XVII, 16.
(2) Plutarch., *Alexand.*, 29; *De fortuna Alexandri*, 2.
(3) Chares fr. 16, apud Athenæum, p. 538.
(4) Plutarch., *Alexand.*, 72. — Arrianus, VII, 14.
(5) Plutarch., *Alexand.*, 29.

fuit (1), ita scenicorum amoribus et jurgiis permixtus (2) ut Eumenes indignatus exclamaret jam projicienda arma et tibias inflare et tragœdias agere discendum (3). Rursus scenici effuse regi supra humanum modum exsurgenti blandiebantur, et adulationibus immanem superbiam et impotentem iracundiam efferaverunt quæ tandem in sociorum et amicorum cædes erupit.

Alexandro mortuo, duces tanquam hæreditatis ejus partem, scenicorum studium retinuerunt. Apud novos reges nec minus gratiosi fuerunt artifices, nec minus ad blandiendum effusi. Largitionibus expleti, festis et conviviis admixti, inter amicos etiam et custodes regios admittebantur, nec se mimorum et ceterorum circulatorum quibus quoque favebatur, contagione pollui indignati sunt. Quos recensere tædet; unius tantum nefarium scelus exsecrandum est, Archiæ scilicet, tragici actoris. Is, debellatis apud Cranonem Atheniensibus et deplorata Græciæ libertate, Antipatri vindictæ minister, eos comprehendendi qui Macedonibus adversati fuerant, munus suscepit; is Æginæ assecutus Aristonicum, Himeræum atque Hyperidem e fano Æaci abreptos Antipatro cædendos tradidit; is Demosthenem in fano Neptuni supplicem mortem sibi consciscere coegit, tanto serviendi studio ut homini Phygadotheras cognomen ab antiquis inureretur (4). Digna fuit sane illa scenicorum proditione pœna ut, quum Æschines, Aristodemus, Neoptolemus adversus patriam Philippi partes tutati essent, ex eodem artificum corpore exsisteret tragicus histrio qui vocem publicæ libertatis et græcæ eloquentiæ lumen exstingueret.

(1) Plutarch., *Alexand.*, 67.
(2) Plutarch., *Alexand. apophthegm.*, 20.
(3) Plutarch., *Eumen.* 2.
(4) Plutarch., *Demosthen.*, 28-29; *Vit. decem Orat.*, VIII, 42; IX, 11.

IX.

Quomodo Romani, liberæ reipublicæ temporibus, Græcorum scenica collegia habuerint?

Romanis Græciæ imminentibus, mox imperitantibus, quæ fuerit erga victores artificum scenicorum voluntas, facile ex iis quæ supra vidimus conjicias; Romani vero eos nequaquam e suo ingenio et patriis institutis acceperunt.

De scenicis apud Romanos disputare a proposito nostro alienum est; pauca commemorare satis erit quibus appareat qua conditione fuerint. Apud Tuscos, unde religionis causa ars ludicra accita est, servos fuisse histriones tradidit Livius (VII, 2). Congruens huic origini Romanorum opinio, et Scipionem Cicero ita loquentem induxit : « Quum artem ludicram scenamque totam probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu moveri notatione censoria voluerunt (1). » Similia Livius, de Atellanis mentionem faciens : « Quod genus ludorum acceptum tenuit juventus, nec ab histrionibus pollui passa est. Eo institutum manet ut actores Atellanorum nec tribu moveantur et stipendia, tanquam expertes artis ludicræ, faciant (2). » Clarius etiam quo loco fuerint scenici ostendet particula ejus legis quæ Lex Julia Municipalis inscribitur. Designatis enim hominibus quibus magistratibus interdicitur, propter delicta domi militiæque admissa, inter turpissima artificia referuntur scenici « quive cor-

(1) Respublica, IV, x, 10. — (2) Livius, VII, 2.

pore quæstum fecit, fecerit; quive lanistaturam artemve ludicram faciet; quive lenocinium faciet» (1).

Longe alia exstitit erga scenicos græcos Romanorum ratio, cujus duplex causa mihi fuisse videtur. Primum enim ea sanctitate quæ apud Græcos huic artificio inhærebat, illos motos esse crediderim. Quanta pietate etiam externas religiones observaverint declarat epistola quam, de jure asyli, ad Teios Marcus Valerius prætor publice, nomine tribunorum senatusque, scripsit: «Nos in omni tempore plurimi erga deos pietatem facere, maxime ex eo aliquis conjiciat, quod ob eam causam benevolentiam numinis experti sumus; sed et ex aliis pluribus persuasum habemus manifestam exstitisse nostram erga divina reverentiam (2).» Deinde, quum Romani profiterentur se Græcorum libertatis adversus regia imperia vindices mare transisse, id curaverunt ut quæcunque speciem redditæ libertatis præberent nec futuræ ipsorum dominationi obstare possent, servarentur vel augerentur. Eo consilio, et Isthmicis ludis libertas per vocem præconis proclamata, et Amphictionicum consilium, debellatis Ætolis, in antiquam formam restitutum; eodem, et Flamininus Nemeis, propter insitum Græcis rei ludicræ studium, præfuit, et totum scenicorum genus a Romanis benignissime habitum est.

Verisimile est comprobatum fuisse ab illis alterum Amphictionum decretum; quum enim in fine addatur «Nisi quid Romanis contrarium sit (3)», satis apparet, non nisi eis annuentibus, privilegia artificum confirmari potuisse. In tribus etiam aliis laceris Amphictionum decretis, quæ ad scenicos artifices pertinent, mentio fit

(1) *Corpus inscr. lat.*, t. I, 206, l. 123.
(2) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 60.
(3) Decreta Amphictionum, l. 94, ἐὰν μή τι Ῥωμαίοις ὑπεναντιον ᾖι.

Romanorum quibus benefactorum nomen tribuitur (1). In Iasensi titulo, eosdem scenici appellant communes Asiaticorum artificum servatores (2). Ex quo videre est non minorem fuisse eorum apud novos Græciæ dominos quam apud Macedoniæ reges gratiam.

Haud inviti igitur artifices dominationem Romanam acceperunt, imo etiam libenter amplexi sunt. Illud notabile est, quum nova temporum ratio in Achaiæ civitatibus ab eversa Corintho instituta esset, in decreto Argivæ sodalitatis primam occurrere novæ ætatis mentionem, et in eodem titulo, quamvis Argis adhuc vigeret Dorica dialectus, communem dialectum qua Romani uti solebant, ab artificibus usurpatam fuisse (3). Nec minus prompti fuerunt ad placendum privatim imperatoribus, quorum beneficia rependerent aut elicerent. Post victum Persea, quum Macedonum fautores ubique conquirerentur et Romam evocarentur, nihilominus ad editos ab imperatore ludos ex omni parte concursum est. Paulus Æmilius « ludicrum, quod ex multo ante præparatum, et in Asiæ civitates et ad reges missis qui denuntiarent et, quum circumiret ipse Græciæ civitates, indixerat principibus, magno apparatu Amphipoli fecit. Nam et artificum omnis generis, qui ludicram artem faciebant, ex toto orbe terrarum multitudo, et athletarum et nobilium equorum convenit (4). »

Jam ante, tantum scenicorum studium eminuerat erga nobiles Romanos, ut ad spectacula quæ Romanis ostendi magnificum visum fuerat, in Italiam migrarent. Quum Fulvius ludos quos voverat bello Ætolico Romæ edidit, « multi artifices ex Græcia venerunt honoris ejus

(1) Le Bas, *Attique*, 376-378.
(2) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 281, l. 6-7.
(3) Foucart, *Revue archéol.*, 1870, t. II, p. 107.
(4) Livius, XLV, 32; anno 167.

causa (1). » L. Scipio, collata ad id pecunia ab regibus civitatibusque et congregatis per Asiam artificibus, ludos per decem dies fecit (2). Quæ spectacula scenica adeo splendorem ludorum augere visa sunt ut etiam gladiatorum muneri quod, mortis causa patris sui dedit T. Flamininus, ludos scenicos adderet, ad quos, græcos artifices convenisse verisimile est (3). Cavendum etiam de ludis fuerat senatusconsulto, propter effusos sumptus factos in ludos Ti. Sempronii ædilis, qui graves non modo Italiæ ac sociis Latini nominis, sed etiam provinciis externis fuerant (4).

Ceterum ut hæc novitas ludorum græcorum bene accepta est, ita magis magnificentiæ causa inauditæ quam voluptatis aut scenicarum artium studii placuit; neque magis in scenicis quam in tabulis pictis populus romanus et plerique imperatores intellexisse videntur. Lepidam Polybii narrationem non injucundum erit audire, qua scriptor minime Romanis adversus, rudes spectantium animos et artificum haud inficetam impudentiam effinxit:

« L. Anicius, accitis e Græcia clarissimis artificibus exstructaque in Circo amplissima scena, primos induxit tibicines simul omnes, Theodorum Bœotum, Theopompum, Hermippum ac Lysimachum, qui tum totius Græciæ celeberrimi erant. Hos, quum in proscenio statuisset una cum choro, simul canere omnes jussit. Illis vero modulato et numeroso digitorum motu tibias percurrentibus, Anicius negavit eos bene canere et magis certare jussit. Quum hærerent ancipites, quidam e lictoribus significavit ut in se ipsos conversi concurrerent, ac

(1) Livius, XXXIX, 22; anno 186.
(2) *Ibidem*.
(3) Livius, XLI, 28, anno 174.
(4) Livius XL, 44; senatusconsultum anno 182 factum fuit.

quasi certamen ederent. Postquam brevi intellexerunt quid vellet Anicius, convenientem lasciviæ suæ licentiam arripientes, omnia permiscuerunt. Medios enim choros adversus extremos convertentes, tibicines quidem insana quædam ac dissonantia canentes, in se vicissim mutuo impetu ferebantur; simul vero perstrepentes chori et in scenam ascendentes in adversos irruebant ac rursus quasi terga dantes recedebant. Sed ubi aliquis e choro, præcincta veste, sese obvertens in tibicinem adversum manus sustulit, tanquam pugilatu dimicaturus, tum vero immanis plausus clamorque spectantium excitatus est. Illis vero inter se adhuc dimicantibus, in orchestram duo saltatores processere cum symphonia : simul quatuor pugiles cum tubicinibus et buccinatoribus in scenam conscenderunt. Qui quum simul omnes inter se certarent, dici non potest quod factum est. De tragœdis vero si dicere aggrediar, vereor ne quibusdam videar jocari (1). »

Ut a Græcis civitatibus ad Macedonum reges, a victis regibus ad Romanos, ita a Romanis scenici Attici ad Mithridatem sese converterunt, promptissima in eos qui superaturi videbantur adulatione. Quum enim Athenio, ad regem legatus, reversus est, « illi obviam processerunt et scenici artifices, missum a novo Baccho invitantes ad communem aram et libationes et vota quæ ad eam fieri solent..... In templo vero artificum sacra peragebantur, ipso præsente, et præconis voce proclamatæ libationes (2). » Quod studium scenicis maxime perniciosum evasit adversus Syllam, injuriarum minime immemorem et in exigendis pœnis victorem acerbissimum. Templum nempe ab artificibus Eleusine ædificatum a

(1) Polybius, XXX, 13.
(2) Athenæus, V, p. 212.

Sylla tunc destructum fuisse admodum probabiliter demonstratum est (1).

Sed breviter transiit Syllanæ vindictæ procella, neque ipse victor scenicorum generi, sed uni Attico collegio infensus. Nempe, fractis Mithridatis ducibus, ludos scenicos Thebis edidit (2). Plerumque benevole et ex institutis græcis Romani imperatores erga scenicos sese gesserunt. Exemplo est Brutus, qui, quum prætor ludos quam splendidissimos edere cuperet, ipse se Neapolim, ubi plurimi artifices versabantur, contulit; quumque unus ex iis moraretur, scripsit ad amicos qui ei ut ludis adesset persuaderent, neque enim decere quemquam Græcum hominem cogi (3). Rursus scenici circa potentes, quorum gratiam aut munera appetebant, frequentes erant; nonnulli privatim in Antonii familiaritatem admissi, universi ad nutum ejus, post infaustum adversus Parthos bellum, Samum confluxerunt, nullo communium malorum respectu. « Quum circa omnes regiones luctibus et gemitibus replerentur, una hæc insula per plures dies tibiarum et fidium concentu perstrepebat, repletis theatris et choris certantibus (4). »

In hoc tamen scenicorum græcorum apud nobiles viros favore, nondum eadem opinio ad omnes pervenerat, et necesse fuit scriptoribus plerosque legentium admonere quantum discriminis foret inter græcos artifices et latinos histriones. Ita Livius : « Rem Aristoni cuidam tragico actori, cui et alia arcana committere adsuerat incaute aperit (Andranodorus). Huic et genus et fortuna honesta erant; nec ars, quia nihil tale apud Græcos pudori est, ea deformabat (5). » Haud aliter Cornelius

(1) Fr. Lenormant, *Recherches à Éleusis*, p. 117 et seq.
(2) Plutarch., *Sylla*, 19.
(3) Plutarch., *Brut.*, 21. — (4) Plutarch., *Anton.*, 56.
(5) Livius, XXXIV, 24.

Nepos : « In scenam vero prodire et populo esse spectaculo nemini in iisdem gentibus fuit turpitudini, quæ omnia partim infamia, partim humilia atque ab honestate remota ponuntur (1). »

X.

De collegiis scenicis imperatorum ætate.

Imperatorum ætate, res scenica Græcorum tandem Romæ quasi civitatem adepta est, auctore Nerone. « Instituit et quinquennale certamen primus omnium Romæ, more græco triplex, musicum, gymnicum, equestre, quod appellavit Neronia (2). » Eamdem novitatem accurate notavit Tacitus : « Nerone quartum, Cornelio Cosso consulibus, quinquennale ludicrum Romæ institutum est, ad morem græci certaminis, varia fama, ut cuncta ferme nova. » Sermones quoque in utramque partem jactatos retulit, e quibus videas quæ fuerint approbantium et improbantium sententiæ (3). Majora etiam Domitianus : « Instituit et quinquennale certamen Capitolino Jovi triplex, musicum, equestre, gymnicum et aliquanto plurium quam nunc est coronarum. Certabant enim et prosa oratione græce latineque ; ac præter citharœdos, chorocitharistæ et psilocitharistæ (4). »

(1) Cornelius Nepos, *Præfatio*.
(2) Sueton., *Nero*, 12. — (3) Tacit., *Annal.*, XIV, 20-21.
(4) Sueton., *Domit.*, 13. — De ludis Capitolinis diligenter collegit Friedlænder (*Sittengeschichte Roms*, t. II, p. 393) testimonia e scriptoribus et monumentis desumpta. Addendus est titulus in ruderibus theatri Dionysiaci Athenis repertus : « T. Ælius Aurelius Apollonius Tarsensis et Atheniensis comœdus et præco, periodonica, et in Capitolinis victor, postquam vici in certamine Olympico, hanc statuam erexi. » *Ephemeris societatis archæolo-*

Hæc breviter prætereo, quoniam de collegiis modo artificum græcorum disputare institui, quorum nullum monumentum quod ad ea tempora referri queat, adhuc innotuit. Sed jam inde ab Hadriano res Græciæ rursus effloruerunt, quasi a stirpe renatæ. Qui, quum Græcos adamaret, omnia exemplis et beneficiis erexit vel auxit, Athenas quater adiit, Græciam fere totam peragravit. In honorem Hadriani et Antonini plurimi tituli in omnibus civitatibus compositi, plurimæ monetæ eorumdem effigiem cum laudibus referunt. Quæ omnia non effusæ adulationis sunt testimonia, sed gratiæ pro beneficiis ingentibus relatæ. Nulla enim fere sunt Græciæ aut Asiæ rudera in quibus non sit effossum aliquod ædificium Antoninorum ætate erectum. Justissima igitur videtur illa laudatio quam Delphico lapidi inscriptam erui :

« Imperatori Hadriano servatori qui suam ipsius Græciam restituit et aluit, Græci qui Platæas conveniunt gratiæ monumentum consecrarunt (1). »

A quo nequaquam neglectam fuisse rem scenicam satis indicat theatrum Dionysiacum Athenis absolutum et illius titulis refertum. Mutatæ quoque in melius, eo regnante, et auctæ res scenicorum collegiorum. Tunc enim unum ex omnibus conflatum est quod, Bacchi et

gicæ, nov. ser., 207.— Nuperrime etiam Romæ effossum lapidem edidit Henzen. « Q. Sulpicio Q. f. Claudia, domo Roma; vixit annos XI, menses quinque, dies duodecim. Hic tertio certaminis lustro inter græcos poetas duos et quinquaginta professus, favorem quem ob teneram ætatem excitaverat in admirationem ingenio suo perduxit et cum honore discessit. Versus extemporales eo subjecti sunt ne parentes adfectibus suis indulsisse videantur. » Sequitur carmen græcum extemporale versibus hexametris conceptum cujus argumentum satis erit referre : « Quibus verbis Jupiter Solem incusavit quod Phaethonti currum tradiderit. » *Bullet. Instit. arch.*, 1871, p. 393 et sq.

(1) Inscriptions inédites de Delphes, 468.

imperatoris patrocinio consecratum, decretis suis ambitiosum titulum præposuit (1). Quod incrementum Hadriani temporibus assignari posse testantur duo lapides; unus græcis et latinis verbis conceptus Nemausi repertus est, sed nonnulla perierunt aut a scribente omissa sunt; alterum, quem descripsit et edidit Waddington, paulo infra afferam (2).

Idem patrocinium suscepit Hadriani filius; quod declarat lapis Atticus : « Decretum sacræ Hadrianeæ, Antoninæ thymelicæ peripolisticæ magnæ synodi eorum qui ex toto orbe terrarum circa Bacchum et Imperatorem Cæsarem T. Ælium Hadrianum Antoninum Augustum Pium, novum Bacchum, sunt, artificum (3). »

Ex alio titulo constat Caracallam, quum se hæredem Antoninorum et Commodi etiam nepotem jactaret, libenter novi Bacchi cognomen ab artificibus accepisse (4); unde fit verisimile et Marcum Aurelium et Commodum eodem collegii patrocinio functos esse.

Quæ vocabula, ut fit in recentioribus titulis, plurima congeruntur, ea facile est interpretari. Sacra quidem dicitur synodus, utpote antiquo Bacchi et novo principum patrocinio consecrata. Thymelica vel musica genus designat ne cum xystica synodo, quæ est athletarum, confundatur. Quum omnes ex toto orbe terrarum artifices in unum confluxisse memoret, satis apparet illa collegia quæ prioribus temporibus exstiterunt, in unum corpus coaluisse. Rursus synodus non uni provinciæ aut regioni

(1) Mentio collegii artificum ex Ionia et Hellesponto in quibusdam lapidibus invenitur, ætate quidem imperatorum exaratis, sed quorum tempus non potuit certe definiri. *Corpus inscr. gr.* 3082, 2933.

(2) *Corpus inscr. gr.*, 6785 ; vide p. 95.

(3) *Corpus inscr. gr.*, 349; cf. tituli fragmentum Thiatyræ repertum, 3476 *b*.

(4) *Corpus inscr. gr.*, 6829, l. 12.

addicta est, sed omnes urbes imperii invisit, περιπολιστική. Quod haud immerito adjici monstrant tituli in regionibus maxime diversis inventi : hinc Pessinunte, Thyatiræ, Aphrodisiade, illinc Athenis et Nemausi.

Similis fuit, his temporibus, athletarum ratio qui ex toto orbe terrarum in unam sodalitatem sese congregaverunt. Hæc quoque patrocinio Herculis et imperatorum se sacram prædicat ; simili titulorum fastu et congestarum victoriarum commemoratione gaudet (1). Quin etiam sese aliquando consociasse ambæ sodalitates, propter rationum similitudinem et ludorum communionem, videntur ; certe in tituli Ancyrani fragmento, quod descripsit G. Perrot, idem fuit patronus aut magistratus xysticæ et thymelicæ synodi (2).

Haud parvum incrementum attulit utrorumque rebus imperatorum patrocinium. Vetus fuit sane mos artificum regibus Pergamenis Ægyptiisque, decretis honoribus divinis, assentandi ; imperatoribus etiam vivis dei nomen deferre, maxime usitata in Asia Græciaque adulatio. Non temere tamen, nec, nisi annuente principe, licuit imperatorium nomen collegio præscribi, maximumque habitum iis temporibus hoc beneficium. Ceterum, quam benevolo fuerint animo erga hujusmodi sodalitates et Hadrianus et ceteri deinde principes, æstimare est ex epistolis quas ipse et Antoninus ad synodum athletarum scripserunt (3).

In administrandis rebus suis, eadem fere ratione qua priori ætate, usi sunt scenici. Solennis forma decretorum et ferme, ut in civitatibus, concepta. Exemplum afferam monumenti quod consulum nominibus, anno 127 assignandum est. « Decretum sacræ synodi. Placuit sacræ

(1) *Corpus inscr. gr.*, 5906-5913.
(2) Exploration archéologique de la Galatie, n° 21.
(3) *Corpus inscr. gr.*, 5906 et 5907.

synodo eorum qui ex toto orbe terrarum circa Bacchum et Imperatorem Trajanum, Cæsaris divi Trajani Parthici filium, divi Nervæ nepotem, Hadrianum Cæsarem, Augustum, novum Bacchum, sunt, artificum et eorum synagonistarum : retulit Theophrastus, Euphori filius, Tryphon, comœdus, Laodicensis; rogavit sententias Eutyches, Eutychis filius, comœdus, Asianices, Hierapolita. » Sequitur prolixa laudatio C. Julii Longiani tragici poetæ cum decretis honoribus; in fine, designantur duo collegii magistratus, agonotheta et scriba (1).

Simili forma conceptum aliud decretum in honorem Januarii Liciniani Galatarchæ. Cujus particulam, propter majorem titulorum fastum, afferam : « Retulit T. Antonius Eutychianus....... et Atheniensis, citharœdus, periodonices, plistonices, incredibilis; sententias rogavit M. Aurelius Glyconianus, Ephesius, cyclicus tibicen, Pythionices, Actionices, plistonices, incredibilis (2). »

Hos magistratus collegii scenicos esse apertum est; eosdem annuos esse alius docet titulus pro salute Septimii Severi et totius familiæ nec non sacræ synodi a L. Septimio Tryphone, philosopho Alexandrino, dedicatus; qui ita loquitur : « Factus sacerdos continuo bis et summus sacerdos præsidis Bacchi perpetuus, atque insuper ornatus summo sacerdotio M. Aurelii Antonini Augusti, novi Bacchi, perpetuo, quum promisissem sponte mea et hoc summo sacerdotio perpetue me functurum, Bacchum, quem ornaveram privato sumptu primus [consecravi], rationes agente M. Volusio Pericle; declaravi me Bacchum ornaturum, archonte Ventidio Sota, pythaula, periodonica, incredibili; scriba Ælio Agathemero, citharœdo incredibili (3); nomodicta, Aulo OEnensi, tragœdo

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 1619.
(2) *Corpus inscr. gr.*, 4081.
(3) Idem in Smyrnæo titulo vocatur Ephesius, Smyrnæus,

incredibili; perfeci vero, ut declaraveram, Bacchum, archonte Aurelio Anchareno Phædro, Ephesio, comœdo, periodonica, Capitolionica, incredibili; scriba, Menecrate Assyrio....... comœdo, periodonica, incredibili; nomodicta, T. Claudio Alexandro, Laodicensi tragœdo et poeta incredibili (1). »

Vides, ut priori ætate, sic et his temporibus, collegio adscriptos fuisse poetas, musicos et actores. Annuum quoque Bacchi sacerdotium permansisse idem docet titulus, et bis eidem deferri potuisse. Sed, quum ambitioni hominum jam non sufficerent prisci honores, institutum est ejusdem Bacchi summum sacerdotium et illud perpetuum et cum eo conjunctum imperatoris summum sacerdotium. Alia etiam apud alios sacerdotia addita fuerunt, sive ut plures dignitatibus fruerentur, sive ut adularentur principis amoribus. Sic in ruderibus theatri Dionysiaci, Athenis, præter sedile sacerdotis Bacchi Eleutherensis, duo alia descripsi quorum uni inscriptum est : Sacerdotis Bacchi Melpomeni ex artificibus; alteri : Sacerdotis Antinoi Saltatoris ex artificibus.

Jam hæc institutio summi sacerdotii perpetui priscum collegiorum statum, qui ex omni parte popularis fuerat, commutavit. Majus vero libertatis detrimentum attulit novum munus logistæ. Hoc annuum fuerit necne non liquet. Id autem constat eum magistratum non e corpore scenicorum fuisse; unus enim fuit sacerdos provinciæ Asiæ (2); alter procurator imperatoris et prætoris pater (3). Hanc igitur dignitatem a viris summo honore aut magna potentia præditis exerceri solitam esse comper-

Pergamenus, citharœdus hieronica, musicus clarissimus. *Corpus inscr. gr.*, 3208.

(1) *Corpus inscr. gr.*, 6829.

(2) *Corpus inscr. gr.*, 2741.

(3) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 1620 *c*.

tum habemus. Qui non jam collegii magistratus fuerunt sed patroni; neque suffragiis artificum et arbitrio erant obnoxii, sed pro munere suo et pro dignitatis auctoritate de pecuniis erogandis et de ludis decernebant. Nempe quum cujusdam Flavii Lysimachi constituta esset pecunia, quæ cumulata usuris novorum ludorum præmiis decernendis sufficeret, cura omnis rei fuit penes logisten. Qui, flagitantibus sæpius artificibus ut tandem eos ludos ederet, respondit nondum satis grandem esse pecuniam (1). Alteram quoque logistæ epistolam tenemus, qua plures ludos a privatis institutos secundum donantium voluntatem ordinat, agonothetam designat, tempus, seriem certaminum, præmia cuique proposita definit (2).

Altera ex parte, nulla unquam ætas ampliorem locum scenicorum industriæ præbuit, aut præmiorum copia fuit feracior. Magnum enim numerum ludorum, Antoninorum ætate, exstitisse docent tituli, non in Græcia solum, sed in Asia atque etiam Italia. Etenim præter veteres ludos qui vel in parvis civitatibus frequentissimi peragebantur, plurimæ urbes æmulatione impulsæ sua Pythia, sua Olympia celebrare studuerunt. Nova quoque series certaminum in honorem imperatorum constituta: Augustea, Cæsarea, Trajanea, Hadriania, Panhellenia, Antinoea, etc. Privati quoque haud pauci, ut sui memoriam perpetuam relinquerent, magnas pecunias ad agendos de suo nomine ludos, civitatibus largiebantur. In una Aphrodisiensium urbe quinque ludos, Commodo imperante, a privatis eo modo institutos invenimus; summa vero cujus ex reditu, quinto quoque anno, certamina committenda fuerunt ad centum triginta millia, centum

(1) *Corpus inscr. gr.*, 2741.
(2) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 1620 c.

viginti millia denariorum cumulari debuit. De qua pecunia quæ erogabantur præmia, nonnulla proferre utile est. Tragœdorum primo, 1500 den.; secundo, 500; tertio, 350. — Majora etiam in alio tribuuntur : tragœdorum primo, 2500 den.; secundo, 800; tertio, 400; comœdorum primo, 1500; secundo, 500; tertio, 300. — Pythaulæ et psilocitharistæ, 1000; choraulæ et chorocitharistæ, 1500. — Minima poetarum præmia; laudationi, poemati epico et novæ tragœdiæ, tantum 750 den.; novæ comœdiæ, 500; veteri comœdiæ, 350 et 150 (1). Series vero ludorum ita fuit continua ut logistes tempus magistratibus his verbis definiret : « Certamen vero Claudii Adrasti, ut præstitutum fuit, peragendum est, nulla re neglecta vel omissa; curandum est autem ut peractum sit hoc nono mense, quoniam eis qui id committent, Heracleam eundum est.» Nova etiam certaminum genera ex adulatione orta sunt, ut in Musæis Thespiensibus laudatio prosa oratione et poema in honorem imperatoris. Quod in fine catalogi sæpius occurrit διὰ πάντων idem quod in priori ætate ἐπινίκιον valet, scilicet præmium victoris qui inter omnes victores excellere visus est (2).

C umtanta præmiorum copia et tanto ludorum studio congruens artificum æstimatio; quorum non modo conservata fuerunt antiqua privilegia; sed eis etiam statuas, jus civitatis, honores, magistratus quoque certatim civitates decreverunt (3).

In insula Teno, tribus cujusdam archon est Pancles

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 1620 *c* et 1620 *d*. — (2) *Corpus inscr. gr.*, 1585.

(3) Quidam, quum suarum victoriarum memoriam marmori incidi cuperent, pietatem superbiæ suæ prætendentes, statuas magistrorum suorum consecraverunt, sed in titulo conscribendo præcipue suas victorias memorari curaverunt. (Philistor, t. I, p. 329 ; *Corpus inscr. gr.*, 3208.)

Actionices, e sacra synodo et periodonices (1). Neapolitani, senatus et populi decreto, statuam consecrarunt tibicinis P. Ælii Antigenidæ Nicomedensis, summi sacræ synodi sacerdotis, multis in certaminibus victoris, qui Neapolitanæ civitati adscriptus, apud ipsos demarchi munere functus fuerat (2).

Aucti his honoribus artificum animi et excogitatus novorum vocabulorum fastus, quibus victoriarum memoria signaretur. Hieronices, pleistonices, qui in sacris aut in multis ludis vicit; Actionices, Capitolionices, Asionices, qui in ludis Actiis, in Capitolinis, in communibus Asiæ, propter eximiam earum victoriarum laudem; periodonices, qui in quatuor magnis Græciæ ludis palmam retulit (3); aut separatim Olympionica, Pythionica, etc. Victoria diapanton, de qua mentionem feci, sedulo commemoratur.

Alia apud alios ambitio. Hic inscribitur Publius Sextilius, Publii filius, Demetrius, tragœdus invictus (4); ille in pluribus artibus palmis relatis superbit, simul præco et comœdus (5); plura etiam genera attigit quidam qui coronas a se partas Cyzici comœdis; Pergami et Nicomediæ citharœdis; Cyzici, Romæ, Smyrnæ, tragœdis, marmori incidi curavit (6). Quam varietatem persequi prope sit infinitum. Quum vero artifex quisque priores superare maxime studeret, nihil majoris laudis visum est quam si quis laudationi suæ eam mentionem inserere posset : *solus et primus omnis memoriæ*. Quam quum

(1) *Corpus inscr. gr.*, 6820.
(2) Minervini, *Bullet. Instit. arch.*, 1859.
(3) De periodonica, vide Miller, *Revue archéologique,* 1872, t. I, p. 354.
(4) *Corpus inscr. gr.*, 5920.
(5) Ephemeris Societatis archæologicæ Atheniensis, 207.
(6) *Corpus inscr. gr.*, 5919.

omnes vehementer appeterent, facilior inventa est ratio qua eam adipiscerentur; nempe si quis in novis ludis et insignibus palmam retulisset, ut ait ille præco : « Vici milliarium Romæ, propter quod aureo præmio honoratus fui, solus et primus præconum omnis memoriæ. » Idem magistro suo tribuit, quod ejus statuas consecrarunt Elei et Delphi (1). Idem tibicini civitas Nicomedensis, quod ab annis sedecim cum viris certavit; idem Gortynii civi suo, quod in eodem quinquennio plures palmas retulit (2); idem de se prædicat citharœdus, quod continuo quatuordecies vicit (3). Quam laudem singularem ut titulis suis adscriberent, vel minima causa idonea videbatur : scilicet victoris ætas, genus artis, nova series certaminum, ludorum novitas aut partorum honorum.

Ea cognominum insignium insania ita exarsit Nero ut omnia in se congeri vellet et e Græciæ ludis universis titulos victoriarum referre. In musico igitur imperatoris triumpho præferebantur tabellæ hastis infixæ, plus quam mille et octingentæ, quibus inscriptum fuerat quo in certamine vicisset Nero Cæsar primus et solus Romanorum omnis memoriæ. Quam gloriam ut non verbis tantum sed etiam re tueretur, prudens imperator jusserat omnes omnium qui prius vicerant statuas uncis detrudi et in latrinas dejici. Ad Capitolium autem ascendenti jucundissimæ exaudiebantur senatorum voces conclamantium : « Vah! Olympionica, Pythionica, vah! Auguste! Quam solus es periodonica, quam solus omnis memoriæ, Auguste (4)! » Quæ omnia jam a scenicis excogitata sibi vindicavit Nero, in immensum augens; et eadem postea appetere non destiterunt artifices.

Quum vero singulis victoriis commemorandis jam

(1) Philistor, t. I, p. 329.
(2) *Corpus inscr. gr.*, 1720 et 1719. — (3) Ibidem, 3208.
(4) Dio Cassius, LXIII, 8, 10 et 20. — Sueton., *Nero*, 21.

marmorea tabula non sufficeret, usus invaluit ut duo genera ludorum distinguerentur.

1° Ἀγῶνες στεφανῖται, φυλλῖται, ἱεροί, in quibus victori corona aut parvi pretii præmium tribuebatur; cujus generis sunt magni Græciæ ludi, necnon multi, primo et secundo post ætatem nostram sæculo, ad eorum æmulationem in plerisque magnis civitatibus Asiæ, Græciæ, Italiæ instituti.

2° Θεματικοί, ἀργυρῖται, ταλαντιαῖοι, ἡμιταλαντιαῖοι, quorum illa ob præmium pecunia solutum, hæc ob talentum aut medium talentum, quæ merces erat victoris, dicebantur; quæ tamen vocabula etiam in minoribus præmiis usurpata fuerunt. Hoc tamen genus multo minoris pretii habitum; itaque, quum victores athletæ aut artifices palmas in magnis ludis relatas plerumque singulas enumerent, ceterarum numerum addunt aut « vicit in omnibus certaminibus thematicis in quibus certavit (1). » Superbior etiam illa brevitas, qua, præ fastidio tam multas victorias commemorandi, laudat quædam civitas « Marcum Aurelium Charmum Philadelphensem, Nicomedensem, Atheniensem, citharœdum incredibilem, periodonicam, coronatum in omnibus sacris certaminibus, in universo orbe a Capitolio usque ad Antiochiam Syriam (2). »

Operæ pretium est nonnullos titulos adjicere, quo melius videas quam multæ ab uno artifice congestæ victoriæ, quam faciles in adscribendis civitati suæ scenicis aut in largiendis honoribus, populi, et simul quam

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, note. — Cf. H. de Longpérier, *Revue archéologique*, 1869, t. I, p. 139-148.

(2) *Corpus inscr. gr.*, 3425. Citharœdus restitui debet, quod genus artificii in omnibus ludis adhibitum fuit; καὶ ᾠδόν, simplice cantorem voluit Bœckhius, quem in certaminibus sacris certasse nusquam invenio.

multa et varia per totum orbem artificum itinera. « Senatus populusque honoravit Flavium Alexandrum Zeïlan Nicomedensem, biologum (quod comœdiæ genus fuit) Asionicam, et propter operis excellentiam et morum probitatem, qui vicit in Asia certaminibus sedecim, in Lycia et Pamphylia, sex et viginti, consilii Antiochiensium et Heracleensium, senatus vero Milesiorum participem (1). »

Plura etiam invenias in titulo Smyrnæo C. Antonii Septimi, civis Pergameni, Smyrnæi, Atheniensis et Ephesii, cujus magister ipse tribus quoque civitatibus adscriptus fuit, aut in Delphico pythici et cyclici tibicinis, septem civitatibus adscripti (2).

Horum, quoniam jamdudum innotuerunt, mentionem fecisse satis erit; illud, minus notum, plenius affero : « Valerius Eclectus, Sinopensis senator et Atheniensis et Delphus senator et Eleus et Sardianus senator et Pergæus senator et Nicæensis senator et aliarum multarum civitatum civis et senator, præco bis periodonica, victor in sacris certaminibus œcumenicis quæ infra scripta sunt : Olympia Pisæ bis; Pythia Delphis, bis; Nemea, Argis, ter; Isthmia, quater. » Tum commemorantur octoginta victoriæ; illæ sunt urbes quas adiit : Athenæ, Roma, Puteoli, Neapolis, Nicopolis, Epidaurus, Thebæ, Lebadea, Berrhœa, Philippopolis, Byzantium, Nicomedia, Nicæa, Sardes, Tralles, Ephesus, Smyrna, Pergamum, Cyzicus, Miletus, Hierapolis, Tyrus, Damascus, Sidon, Aphrodisias. Evanuerunt quatuordecim versus. Hunc vides totum orbem ab Italia usque ad Syriam victoriis suis perlustrasse; quumque in nonnullis urbibus quater vicerit, patet eum non semel tanta itinera

(1) Le Bas et Waddington, *Inscr. d'Asie-Mineure*, 1652 *b*.
(2) *Corpus inscr. gr.*, 3208 et 1720; cf. 1719.

suscepisse. His commemoratis, addit : « Magistrum M. Aurelium Musæum qui et Eortasius, Sardianum senatorem, Delphum senatorem et Eleum et Aphrodisiensium summum scribam (consecravi) honoratum ab Eleis et Delphis statuis, primum et solum omnis memoriæ eorum qui proclamandi artem docuerunt (1). »

Unum titulum addam, breviorem quidem sed eo magis victoriis et honoribus refertum. Quem in corpore inscriptionum male habitum, Spartæ denuo transcripsi et emendavi. « Civitas Smyrnæorum C. Julium Julianum suum civem qui vicit tragœdis, Uraniade tertia (id est, ludis Spartæ in honorem Jovis Uranii peractis) et Pythiis et Actiis et in communibus Asiæ et Cretensium ludis ter, et in ceteris certaminibus quinquennalibus et trietericis ter centum et quadraginta, civitate donato in omni Græcia et Macedonia et Thessalia (2). »

Ex artificum græcorum dignitate et gratia, nonnihil etiam ad histriones latinos pervenit. Quum enim lege Julia ab omni honore et magistratu arceretur quicunque artem ludicram exerceret, annis labentibus ac moribus inversis, adeo mutata fuit histrionum conditio ut vulgo iisdem statuæ erigerentur et magistratus deferrentur. Duos integros titulos proferre satis erit. « Ælio Augusti liberto Aurelio Apolausto pantomimo Augustalium quinquennalium agonistæ temporis sui primo, colonia Aurelia Augusta Pia Canusium. Decurionum decreto (3). » — «Marco Aurelio Augustorum liberto, Agilio Septemtrioni, pantomimo sui temporis primo, hieronicæ solo in urbe coronato diapanton ab imperatoribus dominis nostris Severo et Antonino Augustis, parasito Apollinis, archierei synodi, seviro Augustali, huic respublica Prænestina,

(1) Philistor, t. I, p. 329.
(2) Le Bas et Foucart, *Inscr. du Péloponnèse*, 179 *a*.
(3) Mommsen, *Inscriptiones Neapolitanæ*, 652.

ob insignem amorem erga cives patriamque, postulatu populi, statuam posuit (1). » Mimum quoque decurionem fuisse Bovillis invenimus (2). Quem hominum favorem latinis histrionibus sine dubio conciliavit græcorum artificum exemplum; indicio est ipsa titulorum ratio in quibus haud pauca verba mere græca latinis tantum elementis inscribuntur. Magnum tamen inter utrosque discrimen permansit. In corpus scenicorum latinorum irrepserunt liberti et gens mimorum atque pantomimorum; feminæ etiam hanc artem attigerunt (3). At contra Græci scenici collegium suum nonnisi viris ingenuis patere siverunt neque pollui scurrilis artificii contagione.

Arti scenicæ, non artificibus modo, bellum indixit christiana religio; sed adeo fixum erat animis hujus oblectamenti studium ut ne a christianis quidem principibus imperium obtinentibus, aboleri posset. Illud tantum evicerunt christiani ut scenici inhonestæ personæ haberentur. In titulo codicis Theodosii, multæ leges de hoc genere memorantur quibus apparet quæ tunc fuerit eorum conditio. In tantum enim spectaculorum obsequiis tenebantur ut declinare officia scenica scenici et scenicæ vel ex his nati natæve non possent; in paucissimis, et iis quidem arcte definitis, artificium deseri lege concessum est. Primo, si in periculo mortis versarentur, sed « ante omnia diligenti observari ac teneri sanctione jubemus ut vere et in extremo periculo constituti, id pro salute poscentes (si tamen Antistites probant) beneficii consequantur. » Secundo, si scenicæ, nullo mortis periculo, probe vitam agant. Si qua vero male, « detracta in pulpitum....... ibi permaneat donec anus ridicula, senectute deformis. » Tertio, si ex scenicis natæ probabilem, non vulgarem vitam exercerent. Quarto, ex principis

(1) Orelli, 2627. — (2) Orelli, 2625. — (3) Orelli, 2610, 2611.

beneficio. Quod ægre populus tulit et, anno 413, Honorius mimas revocare coactus fuit « ut voluptatibus populi ac festis diebus solitus ornatus deesse non possit (1) ».

Anno tantum 537, scenicis lege permissum est ut suo jure libere artificium desererent, religionis causa.

Quanquam, ea ætate, jamdudum nulla erant prisca illa græcorum artificum collegia de quibus disputatio instituta est. Quorum novissima monumenta Severis æqualia sunt; quo vero tempore perierint definire non licuit. Nempe paulatim poetas, musicos, actores abstulit non certa lex vel subita animorum conversio. Sed a theatris homines novæ fidei vere addictos amovit christiana religio, objurgantibus episcopis; ceteros, jam Romanorum exemplo, apparatu spectaculi atque oculorum illecebris captos, crescens in dies saltatorum favor a tragœdia et comœdia ad pantomimos traduxit (2), donec insanum mimorum et circensium studium musicas artes omnino aboleret.

(1) Codex Theodos., l. XV, tit. VII de scenicis, editio Gotfredi cujus vide præfationem. Has imperatorum christianorum leges jam apte proposuit Egger, *Mémoires de littérature ancienne.*

(2) Lucian., *De Saltatione.*

VIDI AC PERLEGI :
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. XV cal. mart. an MDCCCLXXIII, Facultatis litterarum in Academia Parisiensi Decanus.
PATIN.

TYPIS MANDETUR :
Academiæ Parisiensis Rector,
A. MOURIER.